



# **Io. Iacobi Rabus & ad Ludovicum patrem, & V. clariss. pro fide catholica, ac suo ad eam accessu, Epistola Apologetica.**

<https://hdl.handle.net/1874/424512>

2

# IO. IACOBI

RABVS &c. AD L V-  
DOVICVM PATREM, &c.

V. clariss. pro fide Catholi-  
ca, ac suo ad eam acces-  
su, Epistola Apo-  
logetica.



COLONIAE,  
Apud Maternum Cholinum.  
Anno M. D. LXX.

Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiestatis:

Matth. 19.

Omnis qui reliquerit domum, uel fratres, uel  
sorores, uel patrem, uel matrem propter non  
men meum, centuplum accipiet, & uitam  
tam eternam possidebit.

Luc. 14:

Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum,  
aut matrem suam, adhuc autem & animam  
suam, non potest meus esse discipulus.

# I I A C O B V S <sup>2</sup>

R A B V S &c. F. L V D O -

V I C O P A T R I &c. V.

clariss. S. D.



Rimùm deprecor te, Lu  
douice pater clariss. vt  
mihi liberiùs fortassis,  
quàm aut persona dignũ  
est tua, aut multorum de  
me expectationi par, meum apud te de  
siderium expromenti, ignoscere nõ gra  
ueris: deinde, vt quod dicturus sum, pro  
tua prudentia examines & perpendas.  
In altero enim singularis tua humani  
tas, in qua ipse quoq; debes, si non mea,  
at Christi certè causa, quàm in honori  
bus fortunæ esse excelsior, mihi dat fidu  
ciam: alterum, quia cum vtilitate Reip.  
Christianæ, & cum veritatis laude con  
iunctum est dignũ mihi videtur, quod  
& à me proferri, & abs te debeat dili

IO. IACOB. RABVS

genter considerari. Est quidem noua  
 nec usurpata haecenus, tum verò inspe-  
 rata planè mihi hæc publicæ ad te scri-  
 ptionis ratio: maluissem ego rem om-  
 nem, quæ nos vtrinquè perturbat, hu-  
 manè ac amabiliter vel literis internos  
 scriptis priuatim, vel componi coràm:  
 ac deinceps animus mihi erat ea tan-  
 tum plebi scriptis meis tradere, quibus  
 formarentur ad veram pietatem, qui  
 aliquo religionis studio tanguntur.  
 Quos labores meos Vlmensibus no-  
 stris potissimum desudare cupiebam,  
 quòd permultos esurire & sitire Chri-  
 stum intelligerem, paucissimos autem  
 scirem, qui vel modica eius cognitio-  
 né, idq; hostium suorum improbitate  
 magis, quam quòd ita vellent ipsi, ritè  
 imbuti essent. Hanc mihi fuisse propo-  
 sitam rationem, omnes meæ actiones,  
 & tot mei libelli testari possunt.

Verùm cum perspicerem, vsque cò  
 quorundam improborum furorè apud  
 te

te inualuisse, vt nullus amplius veritat  
 locus restet, quin præterquàm quòd tot  
 meas literas, quas octo à me puto Epi-  
 stolis accepisti, auersatus es perpetuò,  
 alios quoque patienter fers, nescio  
 quam aduersus me atrocem crudelita-  
 tem adhibere, facturum mihi operę pre-  
 tium visus sum, si te publicè tandem of-  
 ficij tui admonerem, & professionem  
 meam ederem, vnde tu disceres, qualis  
 nam sit Ecclesia illa, quam ego explo-  
 sa ista vestrorum impietate amplexan-  
 dam mihi esse duxi: in quam tanta ra-  
 bie excandescunt illi, qui cruentis ma-  
 nibus suis omnia hodie conturbant:  
 quam carcere, exilio, proscriptione, di-  
 cam & incendio mulctandam, quam  
 terra mariq; exterminandam esse voci-  
 ferantur. Commouit etiam, ac tantum  
 non coëgit me ad scribendum, illa mul-  
 torum nunc animis penitus infixæ per-  
 suasio, qua me nescio quæ hostili ani-  
 mo frustra in te istic molientē, quę co-  
 nantem

*Ita Luthe-  
 rus passim.  
 Ex discipu-  
 lis uerò  
 Brentius  
 præcipue:  
 de Har.  
 pun.*



nantem impia, ad homines Catholicos  
 profugisse tandem opinatur. Quæ pro-  
 fectò et si manifesta est calumnia, qua  
 me homines nefarij insontem apud te  
 lacerant, tuas tamen aures, animumq;  
 tuum altè nimis occupauit: ac perquam  
 mihi id molestum accidit, quòd video  
 tantum virum, quantus quidem istic  
 propitio Dei numine tu es, infinitis pe-  
 nè eorum delationibus, & conuicio-  
 rum asperitatibus inquinari. Sed verò  
 id tibi, pro prudentia tua, perpenden-  
 dum meritò esset prius, quàm aures ad  
 partem alteram inclinares, facile nemi-  
 nem iudicare debere, *περι ἀμφοῖν μῦθου*  
*ἀκρίβη:* ac si criminari sufficiat, nullam  
 neque in dictis fore, neque in factis  
*ἀβλάβειαν,* vllò vnquam tempore. Quod  
 etsi abs te hætenus neglectum sit: me  
 tamen nihilominus in tanta tempesta-  
 te, & maximorum periculorum procel-  
 la, quã isti mihi apud te concitant, cum  
 & caput meum & famam in discrimen  
 addu-

*Audietur  
 & altera  
 pars.*

adducunt, me inquam facile cōsolatur,  
 non tantū quòd hactenus saluo capite,  
 Deo ita prouidente, tot dolos, tantas  
 vndique insidias semper euaserim: sed  
 & illud futurum breui sciam, q̄ in tan-  
 tis inimicitijs, alienatione tam infesta,  
 tam multorum aduersus me concor- *Summa ho-*  
 di ac consentiente voluntate, ad extre- *mini conso-*  
 mum tamen innocentia mea ipsa, exi- *latio est, In*  
 tum sibi ac viam ad salutem certò sit *nocentia.*  
 inuentura. Hanc ego, Pater, maximam  
 eorum incommodorum, quæ capio,  
 consolationem esse sentio. Quid enim  
 nobis interius est magisq̄; coniunctum  
 & quo lætari magis debeamus, quam  
 conscientia cuique suæ benè actæ vitæ?  
 Quæ in quocunq; inest, is & in aduer- *Consciens*  
 sis rebus imperterritus, & in secundis *cia bonæ*  
 æquis, in periculis fidēs, & contra om-  
 nem calumniam fortissimo animo est,  
 ac esse iure quodam debet.

Hac mētis meæ incolumitate ac be-  
 ne factorum fiducia fretus, non solum



IO. IACOB. RABVS

2. Cor. 12. pacato fero animo, quæ mihi accidunt, verū gaudeo etiam, ac, quæ hominis verè Catholici virtus est, summopere mihi in eo placeo, quòd me quoq; dignū ab ipsis iudicari cognosco, in quem grauida illa suorum conuitorum plaustra exonerent. Quæ animi mei æquitas, facile me etiam à suscepto hoc scribendi genere reuocare potuisset, ni viderem ego, quantopere & fama mea, & dignitatis meæ existimatio, exigua illa quidē, at quæ à me, quantulacūq; sit, sperni aut negligi non debet, apud eos periclitaretur, quibus nunc, quanquam falsò, de me persuasum est, illo Homericò *Ἀεὶ δ' ὀπλοτέρω μ' ἂν ἴσῳ φρένες κερῆδονται*, personam hanc meam causamq; totam turpiter contaminari.

Itaq; cum non monitis, si quid erratur, nō instructione, si quid desideretur, non collatione partium inter se mutua, qui legitim⁹ agēdi modus foret, ac vilitata inueniēdæ veritatis via, se d cōiurjs tantum

Veritatis  
inueniens  
dæ ratio.

tantum, contumelijs, criminationibus  
 falsò confictis, quin ferro etiam, non  
 malagmate, rem omnem decerni vide-  
 am: reddenda mihi certè ratio est, fa-  
 cti ac doctrinæ meæ, vt, *ἡ ἀνάγκη πάνθ' ἐπι-  
 νέμενον ὑπὸ τινὸς κινεῖσθαι*, constare tibi pos-  
 sit, quid sit illud, quod me permouit,  
 vt Ecclesiam Catholicam amplecterer,  
 Synagogam verò Lutheri detestarer.  
 Idq; epistola hac mea exponere decre-  
 ui, non quidem vt omnes causas, quæ  
 me illuc incitârunt, penitus discutere  
 cogitem: opus enim sic mihi in Iliada  
 facillè excresceret: & iam antea libel-  
 lus meus ad Clarissimum Boiorû Prin-  
 cipem ea de re extat, qui breui prodibit  
 auctior: verum id tantum præstare nûc  
 conor, vt ad ipsam causæ meæ actio-  
 nem audiendam & considerandam te  
 præmolliam, auersum nunc quidem  
 ac alienatum à me, addo etiam inflam-  
 matum, sed cuius fauorem recolligere  
 me posse confido, si hanc epistolam pla-

cidus compositusq; semel perlegere dignaberis.

Itaq; vt prætermiſſis longis ambagibus ad ſtatum cauſæ ipſum deueniã, multa quidem tibi, non tam de me ipſo, quàm de fide etiam ac Eccleſia hac noſtra p̄ſuaſa noui, quæ ſi vera eſſent, meritò me mille non exilijs, ſed ignibus & crucibus digniſſimum vniuerſus mundus iudicet: at verò, quæ fidei nomine actiones intenduntur, eæ omnes, vt puto, vnius perfidiæ nomine (quo, quòd veritatē ipſis negaſſe videor, exornare me tui cõſueuerūt) cõprehenſi poſſunt. Quod ſi ita eſt, vt certè eſt, patere obſecro, Ludouice pater, animi mei zelù, eæ apud te nunc effundere, quæ ex indignitate rei meritò apud ſe concepit.

*Prior Epi  
ſcolæ par.*

Inſimulor apud te. Cuius criminis? perfidiæ? Cuius perfidiæ? Deſectionis. Cuius deſectionis? à nobis ad damnatã iſtam doctrinam p̄tificiam. Noui em̄ quod apud vos iam pridem elogiũ obtinuit.

tinuit. At quo iure illa, à quibus damna-  
 ta est? id autem erat defensionis meæ  
 præsidium, ac litis determinatio, quam  
 ego quidem huc vsque abs te speretam  
 esse video, ego vero toties, vtrinque vt  
 acceptaretur, desideravi. Intelligis, vt  
 opinor, quæ totius criminis, cuius tibi  
 reus esse videor, ratio sit, quæ causæ co-  
 gnitio, quam perturbatè ea hucusq; nul-  
 loq; prorsus ordine, & hostili astu ma-  
 gis, quàm legitima gravitate tractata  
 sit, vel quoquo modo exagitata. Ipsam  
 causæ conditionem cognovisse prius  
 oportebat, quam in me crimen cõijce-  
 retur: vt si culpa vacaret, absolueretur,  
 componeretur si sanabilis: vel iustis le-  
 gum vindictis coërceretur, si digna, ac  
 insanabilis esse videretur. At verò quid  
 tu Pater? Nõ potes aliud, nisi iustū hoc  
 fore, ac agendum prorsus ita esse, fateri,  
 nisi malles fictæ accusatiõis turpitudi-  
 nē, surdis quasi auribus pertrāsire, & ve-  
 ritatē causæ pscissam magis protritāq;

*Causam  
 prius oportet  
 et cognoscere,  
 quàm  
 sententiam  
 feratur.*

IO. IACOB. RABVS

ac velut deploratam videre, quàm integram cognoscere, idque ex amiculorum tuorum instinctu magis, quam voluntate propria, quam vt rectam esse iudico, ita nondum credo, sibi ipsi huiusceodij causam existere. Sed qui fiat, hinc nihil refert dicere. Causa certè patitur. Hoc enim profecerunt apud te accusatores illi, vt Christi veritatem abnegatam, ac proditum tantum non per me Euangelium istud plane arbitris: verum quo iure, iam dixi: nõ audita causa.

At verò Deum immortalem, quænam istec noua penitus ac inaudita mihi antea Latinitas ipsorum est, quam edocere me conantur, quibus veritatem amplecti idem esse video, quod negare Christum ac perfidum fieri; Adulari verò ac Ecclesiam cõculcare, idem quod veritati ac Euangelio adherere? Mirum ni & vincere tantundem ipsis sit ac occidere. Ergo veritatem ego negavi,

*Noua Lutherano-  
rum  
phrasis.*



gavi, Euangelium prodidi, non quòd reuera hoc ita sit, sed quia me huic Ecclesiæ, quam Papisticam illi appellant, spreta Schola ista, adiunxi. Grauis quidè, si prima spectes, accusatio ea est: at cognita, quam ipsi rationem excogitant, nescio cui non possit occasionem præbere, abundè admodum eos irridèdi. Quod ut quam verum sit intelligas, istam nemo pius Ecclesiam vnquã dixerit Christi, aut verbum istud iudicauerit Euangelij veritatem: quin imò illam sani omnes nil nisi sentinam statuunt omnium hæresum: nostrã ego Ecclesiam cum vniuerso terrarum orbe Basin credo esse ac firmamentum veritatis. Si in hoc verum negavi, Euangelium prodidi, nã ego mendax, transfuga, proditor hinc esse malo, ut in Ecclesia Christi pax mihi constet, quam istic haberi veritatis assertor, ut è corpore Christi excisus aliquando peream. Ita enim prorsus sentio, nõ alium mihi ad vitam

*Lutheranorum Synagoga.*

*Ecclesia Catholica.*



IO. IACOB. RABVS

vitam ingressum esse posse, nisi hæc mater vnica concipiat in vtero, nisi pariatur, nisi me alat vberibus suis, denique sub custodia, & gubernatione sua tueatur, donec exutus carne mortali eò tandem commigrem, quò tãtis quotidie suspirijs anhelò.

*Ad uitam æternã ubi peruenias tur.*

*Extra Ecclesiam nõ est salus.*

*Ies. 37.*

*Ioel. 2.*

*Exec. 13.*

*Nomen suũ scribere inter habitatores Ierusalẽ, qui dicantur.*

tra huius gremium nulla à quoquam vel remissio peccatorum, vel salus sperari potest, teste Iesaja & Ioële, quibus Ezechiel quoquè accedit, cùm denunciat extra populum Dei non esse aliquã coelestis regni spem. Quemadmodum & nomen suum inscribere dicuntur inter habitatores Ierusalẽ, qui se ad Dei agnitionem ac verũ eius cultum in Ecclesia Catholica conuertunt.

Negant verò isti, negas & tu, pater, hæc nostram eam esse Ecclesiam, & re-clamas, falsò me istud iactare. Equidẽ cum vrgear, Ecclesiam hanc excusare, matrem meã: spõsam verò Christi tueri cogor: ac iam quidem quantopere in

eo erretur, dum falsam me Ecclesiam ac adulterinum Dei verbum amplexū esse vociferantur, breuissimè dicam: vt vel sic tibi ad veritatem, & ad agnitionem indigni affectus erga me tui attentionem excitem, vel certè viam planam sternam.

Apostoli Domini, cūm fidei rationem, in compendio illo suo, quod nos *συμβολον* vocamus, succinctè distinctoq; ordine recēsent, certissimā amul-  
 sim posuerūt, qua probari Ecclesiæ ve-  
 ritas debeat. Ad hanc fidei regulam si  
 mea exigantur, in manibus victoria est.

*Quæ sit  
 amulsis p̄  
 bandi Eccl̄  
 esie ueri  
 tatem.*

Quid enim quæso te, meliùs, atq; apti-  
 ūs conuenit Apostolorum fidei, quam  
 ipsi de verò Christi coetu professi sunt,  
 quàm hæc nostra Ecclesia, quàm Ro-  
 manam dicitis?

Profitentur illi primò omnium vnā  
 Ecclesiam. At quæ est illa vna Ecclesia,  
 nisi quæ eadem est & indiuisa in se, quæ  
 inchoata est in primis nostris parenti-  
 bus,

*Prima nos-  
 ra Eccles  
 sia.  
 VNA.*

bus, Adam & Eua, ac in hæc vsque tempora constans permansit, mansuraque est semper? quæ nunquam desijt, nunquam transijt in aliam, deserens se, inquam cæteras Ecclesias à Deo alienas transiuisse nouimus, infidelibus ad Christum iam adspirantibus? Hæc Ecclesia à prima ista mûdi ætate, vsque in hæc tempora, vna prorsus eademque fuit, habuitque secundum successionis seriem incrementa sua, statuum suorum diuersitatem, consummationem suam. Ante legem infantula erat in cunis vagiens, vbi diuinis inspirationibus velut lacte parentis alebatur: sub lege velut paruula paulatim magis ac magis succrescens, sub pædagogia continebatur. Verùm adueniente Euangelio adulta iam, libertate Christiana donata est, habetque nunc vbera vtriusque Testamenti, quibus lactet, quos cœlestis doctrinæ rore imbutos Deo lucrificat.

*Quæ sit  
vna Eccles  
sia*

*Ecclesia  
incrementa*

Si nunc quærat ex me quispiam, in quo hanc Ecclesiæ vnitatem potissimum consistere putem? Respōdeo. Neque loci neque temporis Identitate describi eam à nobis posse: quia in omni loco qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: ac quemadmodum homo vnus ita & Ecclesia vna, varios habet ætatum status, varia statuum incrementa, varios incrementorū accessus, iuxta quod temporis ea omnia ratio poposcit. Nec est cōsideranda Ecclesiæ vnitetas secundum formam disciplinæ æternæ. Hanc enim pro varijs suis ætatibus variam quoq; habuit: varias, dico, Ecclesia leges habuit viuendi, varia item symbola, varia fidei Sacramenta. Ante legem nullum legitimus sacramentum hoc nomine speciatim institutum, quo distingueretur visibiliter populus Dei ab exteris gentibus, nisi tandem tempore Abrahæ signaculum circumcisionis. Sub lege autem erant quidem sym-

*Vnitatis Ecclesiæ in quibus potissimum consistat.*

*Rom. 10.*

*Ecclesiæ forma æterna uas rit.*



IO. IACOB. RABVS

bola multa, sed prorsus aliena significatione ab his, quæ Euangelium reddit. Sed & Euangelium de alijs nos instruit fidei sacramentis, quorum nulla penitus institutio habetur in lege veteri.

*Vnitatis Ec-  
clesiæ.* Itaque vnitatem hanc Ecclesiæ con-  
siderandam nunc nobis esse dico, non nisi ex vnitatis successione continuata ab exordio mundi vsque ad tempus gratiæ, quo tandem diuersæ totius orbis gentes, in vnam fidem, eundemque spiritum, sub vno capite Christo, vnoque duce coaluerunt. Duce autem vnum dico, de ratione minimè incertus. Hoc certè fateantur necesse est, quotquot vel minimum intelligunt, si ipsam rerum rationem contemplemur, si cœlestium corporum ordinem, si ipsam deique τοῦ παντός καὶ ὁλοῦ naturam, & totius nature conditionem consideremus attentius, omnem eò rectius feliciterque multitudinē degere, quò magis per vnus imperium, in arcuissima quàm fieri potest

*Dux Ec-  
clesiæ, &  
eius neces-  
sitas.*

potest, vnitate conseruetur. Proinde dubitare quis possit, quod vniuersæ rerum naturæ à summo eius opifice, Deo, cōcessum est, ut ordinis in ea ratio obseruaretur; id quoq; Ecclesiæ suæ à Christo, æterna illa patris sapientia, indultum esse, vt cūm ex tam dispari multitudine, tanta populorum, nationum, linguarumque diuersitate congregata sit, diligēti ordine disciplinaq; per vnus principalioris auctoritatis, quæ quasi ἡγεμονικὸν esset, potestatē, in vnitatē contineri ac gubernari eam uelit.

Age nunc, Ludouice pater: libet em̄, vt dixi, breuissimè tantūm ueritatem quasi adumbrare: uideamus obsecro, Catholicæ Ecclesiæ prima hæc not. t. cons. uenit. quàm bellè nobis, nobis inquam Catholicis, cum hac Ecclesiæ proprietate quam Apostoli primam esse uoluerūt, conueniat. Nec opus est longam huius rei demonstrationem quærere. Manifestum enim est, & quia manifestum, negari non debet, quin hæc Ecclesia



IO. IACOB. RABVS

nostra, vna sit in se, nec habeat nisi vnā  
*ἑσασχίαν*, vnā vbiq; doctrinā, eadē  
*σύμβολα* ac religionis sacramenta,  
 regatur ac gubernetur sub obedientia  
 vnius Pontificis, qui τοῦ ἡγεμονικοῦ ratio-  
 nem habet, vna denique sit cum præce-  
 dentibus, ex quibus fluxit, Ecclesijs om-  
 nibus, extendatq; propagationem re-  
 giminis sui vsque ad Ecclesiam eam,  
 cui Christus susceptis gentibus ipse  
 præsedisse legitur. Lustra mihi, Pater,  
 Italiam, Gallias, Hispanias, Siciliam,  
 Vngariam, Austriam, Batariam, Sco-  
 tiam, Belgium, ac si quæ sint partes in-  
 fectæque Christiani orbis aliæ nondum  
 infectæ, nil sanè poteris aliud, nisi rem  
 ita prorsus constitutam esse, fateri. Vnū  
 omnes Deum colunt: vnā omnes fi-  
 dem amplectuntur: vna eademq; apud  
 omnes viget doctrinæ professio: vnum  
 cor omniū est & anima vna. Nulla in-  
 ter eos schismata cernas, nullas peni-  
 tus dissensioēs, nullas audias de religio-  
 ne

*Vnitatis eaz-  
 rum orbis  
 partiū que  
 nondum in-  
 fectæ sunt,  
 quanta.*

*Actu. 4.*

ne & Dei cultu controuersias, nisi quas tuorum nobis fex excitauit, eadem ubique est doctrinæ ratio, nulla vsquam varietas est, de mysteriorum vi atque numero, de sacrificio, de tertio animarum receptaculo ad expianda delicta constituto, de ratione confitendorum criminum, de venerandis ijs, qui cœlestiū numero ascripti essent, de eorū imaginibus, de vita coelibe sacerdotū, de principatu & iure Apostolicæ sedis, omnes vnum idemq; sentiunt: denique talis est earum regionum, si quæ Catholicæ adhuc sunt, cōditio, qualem fuisse terram scribit Moyse ante quàm Babylonica turris ædificari cepisset: sunt nimirum vnus labij omnes, omnes idem loquuntur: nec aliud ferè est tota Christiana Respub. quàm latè fidei suæ fines hodie adhuc extendit, quàm vnus quidam Episcopatus, qui vni Pastori & Episcopo, suo quasi duci, obtemperat. Si ritus, constitutiones, ac quas Ceremonias vo-

Genē.ii.

Ecc'esia  
Catholica  
vnus Epi-  
scopatus  
est.

IO. IACOB. RABVS

camus spectes, eandem penè vbiq; nor-  
mam cernās, quin vnā etiam ean-  
demq; linguam audias, qua mysteria  
sua peragant: vnā omnes quasi do-  
mum esse dicas, quam vnus patris fa-  
miliās nutus ac voluntas moderetur:  
vt vnus sol reliquis syderibus præest,  
suiq; vim luminis in omnes terras di-  
mittit: ita una hæc Ecclesia nostra, vnū  
Christum, vnum eius senatum, vnā  
doctrinam, vnā, ut uocant, traditio-  
nem colit ac obseruat. Et quid multa  
dico? Quocunq; mentis oculos in-  
ter nos conuertas, floret optatissima il-  
la pax, animorumq; coniunctio, quæ  
propria Christianorum est, ac à pro-  
pheta nobis commendatur, cum dicit:  
Ecce quàm bonum & quàm iucundum  
est, habitare fratres in vnum.

*Vnā domus*

*Pax & con-  
cordia Chri-  
stianorum  
propria  
est.*

*Psal. 132.*

Iam, quo nexu hæc eadem Ecclesia  
nostra, qua fidei compage cum præce-  
dentibus colligata sit, faciam ut nullo  
negotio intelligas, pater, modo me-  
cum

*Vnitās Ec-  
clesiæ Ro-*

cum ea, quæ dicturus sum, perpendere  
 uoles. Nam quod hodie docetur in no-  
 stra Ecclesia nunquid id ipsum doctum  
 est ante annos hos trecentos, aut qua-  
 dringētos proximos? Negas tu mihi:  
 entibi Thomam, Bonauenturam, Ber-  
 nardum, diuos illos, ac præclara orbis  
 Christiani lumina; Hugonem item:  
 quorum omnium eadem doctrina fuit,  
 idemque fidei consensus, quem & nos  
 hodie tuemur. Quid autem sancti hi  
 tunc docuerunt aliud, quàm quod rur-  
 sus quadringentis retrò annis doctum  
 fuerat? Negas iterum? en tibi quæ ex-  
 tant, Venerabilis Bedæ ac Sanctissimi  
 illius Gregorij IX. Pontif. Rom. mo-  
 numēta: ecquæ in illis inuenitur doctri-  
 na fidésue alia, quàm quæ inter nos quo-  
 què hac adhuc ætate constantissimè so-  
 nat? Progredior. Quod Beda, Grego-  
 rius, cæteri que scriptores istius seculi  
 docuerunt, nunquid idem illud tre-  
 centis iterum quadraginta annis ante



IO. IACOB. RABVS

doctum fuit? En tibi rursus Augustini,  
 Hieronymi, Chrysoftomi, Basilij, Am-  
 brofij, Athanafij, Origenis, Cypriani,  
 breuiter quotquot circa ista tempora  
 claruerunt omnium Orthodoxorum  
 scripta, quæ vno velut ore testimoniū  
 mihi perhibent, ita sese, vt dico, rem pe-  
 nitus habere. Quid amplius? Quod ho-  
 rum Ecclesiasticæ familiæ columinum  
 temporibus creditum est, id idem do-  
 ctum creditū me fuit diu antea, & sub  
 Apostolis & statim post ætatem eorū.  
 Testantur id rursus, quæ extant, illo-  
 rum patrum scripta, qui vel discipulos  
 Domini viderūt ipsos, vel saltem tem-  
 poribus eorum vicini fuerunt: Clemē-  
 tis, Anacleti, discipulorum Petri: Dio-  
 nysij, Ignatij, Irenæi, Tertulliani, & ali-  
 orum complurium. Nec tamen ita pa-  
 trum horum testimonijs quanquā gra-  
 uissimis, ac quæ nulli facilè declinare  
 liceat, alligatos adstrictosq; nos esse pu-  
 tare debes, pater, quin alia nulla habea-  
 mus

mus, quibus id testatum faciamus. Possem idem prorsus demonstrare, & certò euincere ex Oecumenicis illis concilijs, quæ diuersis temporibus, diuersis in locis, ob hæreses veritatis confirmandæ gratia coierunt. Sed ne Epistolæ modum excedere videar, volens id nunc intermitto. Ex ijs, quæ dixi, vnitatem Ecclesiæ nostræ conuicisse sat est.

Nunc eadem, qua coepi via pergendum est. Secundam Ecclesiæ proprietatem Apostoli constituunt, quòd sancta sit. De vocabulo ipso disputant alij aliter: nobis certum ac expeditum est, Ecclesiam ea potissimùm ratione sanctâ dici, quia continet in se omnia instrumenta, mediâ omnia, quæ à Deo sanctificationi hominum deputata sunt: videlicet expiationem peccatorum, sacramenta, & Hierarchiam cum disciplina iustitiæ seruandæ: totum denique thesaurum meritorum Christi. Nec corû mala est opinio, qui Ecclesiam eam

*Secunda Ecclesia propria.*

*SANCTA.*

*Ecclesia quare sancta.*



IO. IACOB. RABVS

*Reuerens  
diss. Osius  
in confes.  
in explicat.  
huius secus  
de not.  
Mart. 16.*

*Sanctū in  
terdū idem  
quod fir-  
mum.  
Mart. de  
diuis. rer.  
Vlp. de  
uer sig.*

*Quomodo  
Ecclesia  
Romana  
sancta sit.*

quoque ob causam sanctam dici volūt,  
quòd ea nihil firmitus, nihil sit fortius,  
vel quia Christo dicata est, vel quia su-  
per petram ædificata, aduersus omnes  
pluuias, omnes ventos, omnia flumina,  
atque adeò aduersus ipsas inferorum  
portas incolumis semper persistit. San-  
ctum enim nonnunquam dicitur, quod  
sanctione aliqua firmatū est, vt sanctæ  
leges, sanctione aliqua firmatæ: muri  
sancti, qui violari non debent: legati  
sancti: tractūq; est à sagminibus herbis,  
quas legati populi Romani ferre sole-  
bant, ne quis eos violaret.

Nunc tu mihi rursus cōsidera, pater,  
quæ bene hæc secundæ Ecclesiæ proprie-  
tas, nostræ fidei cōueniat, quàm aptè ea  
in nos quadret. Nā si sanctimoniā desi-  
deras, de qua dico, eam nos in Ecclesia  
hac nostra pfitemur, ac professi maio-  
res nostri sunt perpetuò, quæ oēm verè  
tollat aboleatq; peccati maculam, ut  
quæ admodū delicti tantam vim fuisse  
credi-

credim<sup>9</sup>, quod mortaliū primus Adam  
 in uoluptario illo immortalitatis hor-  
 to patrauit, vt verè nos sceleratos ac im-  
 puros cōstitueret: ita alterius vicissim,  
 q̄ Dñs noster est Iesus Christus Dei fili-  
 us, tantā omninò virtutē integritatēq;  
 esse agnoscamus, vt eo verè iusti fiamus,  
 nec habeamur tantū pro iustis, cū  
 fontes adhuc simus, ac flagitiorū ceno  
 immerfi, sed verè prorsus, ac re ipsa re-  
 stituamur. Ita em̄ pro nobis orauit Dñs  
 immolandum iam, cū diceret: Pater san-  
 ctifica illos in veritate tua; &, vt Paulus  
 testatur, pro sua reuerētia exauditus est.  
 Sin firmitatem exigis, aut stabilitatē Ec-  
 clesiæ nostrę, en tibi talē eius arcē, q̄ tot  
 semp, tantisq; grauissimorū hostiū op-  
 pugnationibus impetita, nō modò fra-  
 cta nō est aut debilitata: verū cōfirmata  
 magis ac corroborata, rectè ut illa ver-  
 ba prophetæ sibi vsurpare queat: Sæ-  
 pè expugnauerunt me à iuuentute mea,  
 etenim non potuerunt mihi: fides verò  
 illius

*Nō impus-  
 tatiuē sed  
 uerē iustis  
 ficamur.*

*Iohan. 17.  
 Ebra. 5.*

*Ecclesiæ  
 Romanæ  
 stabilitas.*

*Psal. 128.*

IO. IACOB. RABVS

*Fides Eccl  
clesia Ro  
mana imo  
mota.*

illius ac doctrina, qua alitur, pascitur,  
vegetatur, tam stat immota ac inuiolabilis, vt quantò grauioribus machinis ab hostibus oppugnatur, eius sibi  
authoritatem falsò arrogantibus, tantò ea clarior fiat & illustrior, ac magis magisque propagetur. Vix, mihi  
etiamsi linguæ centum essent oraque centum (vt ille canit) commemorem, quot ea modis, & sæpius ferè quàm cogitari queat, impetita fuerit ac concussa. At quid factum est? Quid obsecro factum est aliud, quàm quòd hæc ipsa Ecclesia, dum ita omnes aduersus ipsam  
insurgerent, ea velut lilium inter spinas succresceret, ac eò fieret vegetior, quò magis veritatis hostes euellere conarentur. Ecquid verò hodie fit, pater? An non id ipsum his oculis nostris cernimus euenisse ac euenire quotidie? Quid? An non Lutherus ille letale Reipublicæ Christianæ vulnus infixit? quod quàm primùm impunè grassari per-

*Cant. 2.*

*Lutherus.*

permiffum est, quot quæso illud nobis  
 animas passim abstulit? Vt taceam in-  
 terea, quot hostes, quæ atroces quæ cruentos Hostes Ec-  
 clesie Ro-  
 mane.  
 habeat, & externos & domesticos, qui  
 foris eam ac domi frequenter cõtur-  
 bant: qui hoc etiam deteriores perni-  
 ciosioresque existunt, quod illi externi  
 bona hæc terrena, sua sponte caduca,  
 per seque interitura: hi coelum & pa-  
 triam illam beatam atque sempiternam  
 conantur eripere. In quibus tamen ma-  
 lis maxima Dei consolatione nondum Veritas  
 Catholica  
 hodie illis  
 strior red-  
 dita est.  
 destituimur; quin videmus potius, ipsam  
 veritatem illustriore modo redditam:  
 vel excitatis ad diligentiorem eius inda-  
 gationem multorum præstantium vi-  
 rorum ingenijs, quæ alioquin forsitan si-  
 tu ignobilique otio nobis periissent: vel  
 ex certissima illa Dei bonitate, qua fa-  
 ctum est, ut non tantum fidei nostræ Ec-  
 clesieque Catholicæ illorum fraude in  
 Europa passim decesserit, quantum ali-  
 bi nouimus rursus accessisse. Postquã  
 enim



IO. IACOB. RABVS

enim eximius ille vates vester Lutherus  
 plerasque patriæ nostræ communis par-  
 tes foedis suis erroribus contamina-  
 set: immortalis Deus noster, ut cle-  
 mens est ac uehementer misericors, ita  
 instar benigni cuiuspiam Patris fami-  
 lias, in demortui huius gregis locum,  
 multa alia regna, illisq; longè præstan-  
 tiora, quæ vſitato nunc nomine No-  
 uum orbem appellamus, ueluti nobili-  
 orem quandam foeturam suffecit: fer-  
 rea idololatrarum corda, omnemque  
 lapidum duritiem facilè exuperantia  
 emolliuit, ac ad hanc fidem nostram,  
 administratione Iesuitarum suorum, pa-  
 terno prorsus affectu traduxit. Vbi,  
 quod mirum est, videas nunc atroces  
 ac cruoribibos istos *μορωνδεσπονος*, qui-  
 bus paulò antè ludus erat mactatorum  
 sese hominum carnibus pascere, cru-  
 do ingurgitare sanguine, parùm erat pa-  
 rentes trucidare, instructissimum de-  
 nique conuiuium erat, trucidatos deuorare;

*Novum orbem  
 infectis  
 Europæ  
 regnis De-  
 us substituit.*

*Anthropo-  
 phagorum  
 conuersio  
 per patres  
 Soc. Iesu.*

rare: hoc nostro tēpore tantopere mā-  
 fue factos & ex cultos esse, ut nō solū ad  
 elegantiora defluerint, verū etiā à tātā  
 penitus immanitate nūc exhorrescant,  
 ac criminū etiam suorū grauissimas pœ-  
 nas sua sponte subeant. Fides verò, ala-  
 critas ac constantia corū tanta est, vt & Fides ac  
constantia  
Christiano-  
rum in Ins-  
d. a noua.  
 publicè & domi suæ Christi doctrinam  
 pulcherrimè decantent, noctes etiā in-  
 tegras diuino cultui impendant: ac vix  
 contenti sua ipsorū fælicitate, alios etiā  
 accendāt vrgeantq; ad immortalis Dei  
 cognitionē. Videas multos, repugnāti-  
 bus etiā, qui eos genuissent, ad homines  
 Christianos adniti. Multi nec minis co-  
 ercentur, nec terrentur, quā imminere  
 sibi tamen norūt, morte certissima eaq;  
 crudeli: Sed pergunt constanter: cernas  
 rursus, q se vltro etiā à nemine coacti,  
 suorum immanitati necandos obijcere  
 non dubitant. Iam tantum in ipsis est Pictas eos  
rum.  
 scelera euitandi studium, tam diligens  
 accurataq; piè viuendi ratio, vt qui per-  
 pen-



IO. IACOB. RABVS

perpendere ea uelit secum, vix possit exitum aliquem voluntatis suæ reperire. Qui verò grandiores ætate numerantur, eorum pietatem, modestiam, grauitatem, poenitendi zelum, quis dignè satis enumeret? Me certè de his rebus sæpè cogitantem, magna bonitatis & prouidentiae diuinæ admiratio incessere solet, qui verbi & Ecclesiæ suæ dignitatem, à vestrarum partium præconibus tanta violentia impetitam, illustriorem quàm antea vnquam hac nostra ætate fecerit: vt verissimum nunc illud esse cognoscam, quod ab Hilario scriptum est: Ecclesiam, quò magis exercitatur atq; affligitur, eò se magis magisq; erigere ac amplificare: & illud Iustini Philosophi & Martyris, quò magis in Ecclesiam sæuitur, tantò plures pietatem fidemq; per nomen Iesu profiteri: haud secus, quàm si quis vitæ putatione ad vbertatem prouocet. Verùm longius progredior, quàm præ-

*Modestia,  
grauitas,  
poenitendi  
studium.*

*Hil. lib. 7.  
de Trinit.*

*Iust. in col.  
cum Tris-  
phon.*

præfens locus requirit. Itaque ad tertiam Ecclesiæ proprietatē accedo, quam apostoli voce (Catholica) compræhēdunt. *καθόλου*, si vim compositionis spectes, secundū totū interpretabere, quasi *κατὰ ὅλον*. Hinc Catholica, ut Augustinus ait, nomē accepit, quòd in toto orbe iuxta prophetarū prædictiones diffusa est. Quia verò in vniuerso orbe vniuersæ etiam gentes intelliguntur, inde fit ut Ecclesia Catholica quasi vniuersalis nominetur, quia in omni gente, populo, natione, sexu, conditione, longè lateq; patet. Cuius utriusq; rei extat in signe illud oraculum: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionē tuam terminos terræ. Atq; hoc discrimine non solū à Synagoga, sed ab hæreticorū conuenticulis etiam distinguitur, quorum doctrinæ Catholica seu vniuersales esse non possunt, cū non ab omnibus, æquè Christianis, ab omni natione, populoque receptæ sint,

Tertia Ecclesia nota.  
 CATHOLICA.

Ser. 13. de  
 181. de  
 tempore.

Quare Ecclesia dicitur Catholica.

Psal. 2.

Hæreticorum doctrina, Catholica cur non sit.

IO. IACOB. RABVS

nec semper in Ecclesia durauerint.

*Catholicū.*

Hoc est enim propriè verequè Catholicū, ait diuinus ille Vincentius, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Catholicus verò, ut idem inquit, germanus is demum est, qui, quicquid vniuersaliter antiquitusq; Ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi credendum tenendumque decernit. Quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes, uel contra omnes, nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem sed ad tentationem potius nouerit pertinere. Quod enim nouum, quod particulare est, id Catholicum non esse quisquis diligenter aduertit, facilè intelligit. Hæc Vincentius.

*Catholicus  
quis dicatur.*

*Ecclesia  
Romana  
Catholica  
est.*

His ita positis manifestum fit, quam præclarè hæc eadem proprietates huic nostræ Ecclesiæ conueniat. Hæc enim in totum mundum fusa semel est, eandemq;

demq; fidem tenet, quam Apostoli in  
 vniuersa terra diuulgarunt. Hoc negas  
 tu: aio ego: at quis litem dirimet? Nun-  
 quid verò tu alium tibi iudicem qua-  
 rieris, præterquam ipsum vniuersalem  
 veritatis consensum? Quid ergo? An-  
 ne ambiguum est, Ambrosium, Hie-  
 ronymum, Augustinum, Basilium,  
 Chrysostomum, Cyprianum, Athana-  
 sium, cæterosque illos orthodoxos,  
 quos Catholici veneramus & agnosci-  
 mus, vera Ecclesiæ Christi membra fu-  
 isse? Anne incertum alicui esse potest,  
 Oecumenica illa Concilia quæ proflig-  
 andarum hæresum causa, tot vicibus  
 coiuisse nouimus, veram Christi Ec-  
 clesiam representare? At illa stant à no-  
 bis vniuersa, vobis vniuersa repugnant;  
 quod facilimum esset ostendere, nisi  
 suscepta semel breuitatis ratio intra  
 metas me suas cohiberet: quin imò  
 nec vestrorum nobis calculus ea in re  
 decet.

*Omnes hæc  
 tres omnes  
 niaq; Cons  
 cilia pro no  
 bis stant  
 contra hæc  
 rec.*



IO. IACOB. RABVS

*Hereticos  
rum calcu  
lus quod  
Romana  
Ecclesia  
Catholica  
sit.  
Cont. ep.  
Manich.  
cap. 4.*

*Lutherani  
cur uocem,  
Catholica,  
non ferant.*

*Lutherani  
nihil concis  
onantur de  
dictione Ca  
tholica.*

Nunquid enim nos ipsis Catholici ha  
bemur? habemur certè: nec ferè aliter  
nominamur, vbi cūq; nostri mentio ali  
qua fieri debet, ut certum illud iam ac  
cuidēs sit, quod Augustinus alicubi scri  
bit, nomen hoc proprium esse Ecclesie  
Romanæ, ac ppetuò penes eā durasse,  
inter hostes quoquè. Quæ verò eisdem  
causa fuit alia, cur ex Apostolorum sym  
bolo, dū ex bonis latinis mala facerent  
Germanica, dictionē hanc exploderēt?  
nisi, quod intelligerēt, nostrā Catholi  
cā esse, suas scholas heri (quod aiunt)  
aut nudiustertius p̄dijisse. Iam dū Apo  
stolica illa fidei regula, uel ex suggesto  
explicanda, uel tradenda est in Cathe  
dris, vllāne eius ipsis cura est? Nulla pe  
nitus: nisi memoriam ego nullam ha  
beam, qua repetere ea possim, quæ ac  
cidisse certò noui: surdos quasi pendē  
te lite iudices esse dicas, sic eam omnes  
prætereunt, nec vllam eius volūt ratio  
nem constare vsquam apud suos, quod  
& Sta-



& Staphylus noster sæpè sceleratis de-  
 prauatoribus exprobrauit. Sed transe-  
 ant illa iam: dabitur alibi ea copiosius  
 discutiendi locus: id mihi abundè satis  
 est, res me ipsas in manu habere, quibus  
 eam proprietatem nostræ huic Eccle-  
 siæ vendicare absq; negotio queam.

Achaetenus quidem tres illas Ecclesię  
 notas, quas symbolum habet Aposto-  
 licum, quoad eius fieri potuit, pro hoc  
 loco breuissimè constituimus. Labet

& quartã ex symbolo Niceno mutuari,  
 quam uel in primis eiusmodi esse intel-  
 ligo, qua uera Christi Ecclesia ab adul-  
 terinis hæreticorum coetib; , nullo ferè  
 labore dignosci possit. Appellatur illic

Ecclesia, Apostolica: quæ, uox hoc pe-  
 nitus uult, illam demum esse uerã Chri-  
 sti Ecclesiam, quæ ab Apostolis plan-  
 tata, adhuc sibi, non quidem furtim aut  
 per rapinam, sed legitima Episcoporú  
 successione, eam retinet autoritatem,  
 eam iurisdictionem, eam denique fun-

*Quarta  
 Ecclesia  
 nota.*

*APOL  
 STOLI  
 CA.*

*Apostol  
 lica cur dis  
 catur,*

Etionis suæ rationem, quam Christus  
initiò Apostolorum collegio tradidit,  
quamq; habuit Ecclesia, sub Apostolis  
adhuc viuentibus constituta.

*Cui Eccle-  
siae adiunge-  
re se homo  
Christianus  
debet.*

Proinde qui calamitosus hisce tem-  
poribus nostris, à uera fidei amussi de-  
flectere nolit, sed in Ecclesia ac agro  
Domini fructum ferre, Deiq; benedi-  
ctione integer esse cupit, eam ut sequa-  
tur fidei doctrinam necesse est, quam  
Ecclesia tenet Catholica & Apostoli-  
ca, hoc est, quæ in toto orbe, interual-  
lis locorum dissita ac dispersa, suam  
demonstrat originem & propagatio-  
nem ab ipsis Christi Apostolis proma-  
nare.

*Sola Ros  
mana Eccle-  
siae uelis  
est, cui nos  
et Apo-  
stolica conue-  
niant.*

Quæ omnia cum nulla omnino alia,  
præterq̃ Romana Ecclesia de se cui-  
cere possit, planum ac apertum est, cū  
hac in fidei dogmatibus ac sacramen-  
torum administratione consentire eum  
oportere, qui salutem suã sibi velit cer-  
tam constare ac inuiolatam.

*Cum*

Cum hac enim non tantum totus pri-  
 dem Oriens Occidensque; consensus, ve-  
 rum omnes etiam Ecclesie alie, quot-  
 quot uniuersus hic terrarum orbis con-  
 tinet, eamque; propter principis pastoris  
 in ea eminentiam, suam quasi magistram  
 agnouerunt, ac, ut Irenaeus loquitur, ceu  
 opulentissimam quandam veritatis  
 ἀποθήκην vitaeque; portam veneratae sunt.  
 Hoc erga ipsam affectu fuere etiam pa-  
 tres nostri, Augustinus, Cyprianus, Am-  
 brosius, Cyrillus, Maximus, Hierony-  
 mus, Bernardus; praeter quos & alios  
 referre possem, nisi hos abunde satis es-  
 se animaduertentem, ad eius rei facien-  
 dam fidem. Quid enim? tot tantorumque;  
 patrum consentiens, conspirans conti-  
 nuataque; doctrina, quae non coget, ea quae  
 dicimus comprobare? Praeterque quod ea  
 sentiunt, quae sanctarum etiam synodo-  
 rum testimonia confirmant, id quod, cum  
 huius loci non sit declarare, intermitto.  
 Ergo bene nunchabet, Ecclesiae hu-

*Cur necess-  
 arius cons-  
 ensus sit  
 cum Eccle-  
 sia Roma-  
 na.*

*Lib. 3. c. 4*

*Aug. cōt-  
 epist. Man-  
 ca 4.*

*Cypr. li. 1.  
 epi. 3. ad  
 Cor.*

*Amb. ser.  
 71. de fide  
 Petri.*

*Cyrl. in li.  
 Thes. refes-  
 rente D.*

*Thoma cōs-  
 tra errores  
 Graec.*

*Hierony.  
 ad Dam.  
 Bern. epist.*

*131. ad  
 Mediolan.*

*Author  
cui Eccles  
siae adiun  
ctus sit.*

ius cui me adiunxi, veritas iam à me cõstituta est. Ad id nũc accedo, te vti mo-  
neam, pater, quam tui illi me iniquè ne-  
gatę veritatis apud te accusent, cùm ex-  
peditissimũ, ac planè nunc à me conui-  
ctum sit, eius me Ecclesię consortem fa-  
ctum esse, quę in præscriptam ab Apo-  
stolis doctrinæ cęlestis methodum cõ-  
sentit, & antiquę patrũ religionis vin-  
culo colligata est, quę, ne veritas Dei in  
mundo intercidat, fida eius custos est,  
cuius opera voluit Deus, puram verbi  
sui prædicationem, ac conuenientem  
sacramentorum administrationem cõ-  
seruari. Hęc itaq; dum colo, ac id quo-  
ad possum, quæro vnicum, quo videli-  
cet modo electam ego illam segrega-  
tamq; à Christo in sponsam, toto vitę  
meę tempore sequi possim, ne, si veri-  
tatis Dei ruinam moliar, dignus fiam,  
ad quem conterendum toto irę suę im-  
petu fulminet: huic, inquam, dum stu-  
deo pietatis ac salutis meę fundamen-  
to,



to, interpellant nunc illi, interpellas & tu, quiritarisq; hoc modo negari veritatem, subuerti religionem, prodi Euāgelium, exerceri nescio quam petulantem aduersus te contumaciam: quia ferre non potes, credo, tantam me Dei benignitatem grato animo accipere, ac voluntatem rationi obedientem præbere. At nō legimus, pater, repræhēsos, qui ad fontem aquæ viuæ, postquam ad *Ierem. 2.* hauriendū vocati essent, diligenter accurrerunt, contra grauitèr obiurgātur, tanquam perditionis suæ æmuli, qui foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam. Angelos ac vniuersam cælestis Hierarchie *Luce 5.* militiā ob vnius peccatoris mutationē lætari nouimus: contra verò impœnitētes iudicio Dñi subiecti esse dicuntur. Quid verò, quid obsecro te, pater, mali est, immortalem Deū sibi polliceri propitium patrem, nomen eius colere, audire eius verbum, vsurpare sa-



IO. IACOB. RABVS

cramenta, ac suam tandem sperare salutem, in ea demum Ecclesia, de qua certum sit, neminem ea prestare, aut sedem illam piorum sempiternam consequi deniq; posse, qui in hac Dei familia non reperitur? Hic mihi rursus isti manum iniiciunt, & illam salutis meae fiduciam, quam ego in Ecclesia Christi mihi contingere debere asseuero, arroganti mendacio, & praesumptione non carere affirmant. At ut nihil apud ipsos, ita omnia in hac Ecclesia beneficia Dei haberi & offerri credentibus sperandum est, nec alia ratione melius ad ueritatem & ad Dei misericordiam via patet, nisi corpori prius huic Christi copulati, in unam hanc fidem, unam charitatem, ac spem unam futurae gloriae coalescamus. Quid ultra? percurrere, pater, omnes facti ac causa meae partes, & indignatione tua tuum me primum dignum iudica, nisi planum tibi sit futurum, in hoc unice me laborare, ac probris passim affici, quia huic symboli

*Coli non potest DEVS nisi in Ecclesia.*

*Via ad misericordiam Dei qua.*

boli articulo studeo: Credo Ecclesiam Auctor  
 sanctam Catholicam: propter huius stu- persecutio  
 dium ac professionem, diris à vobis ex- nè patitur  
 ecrationibus deuoeor, maledictis la- propter  
 ceror, tractor modis nescio quàm Euā- unicum fcs  
 gelicis. At verò ut propius hìc nonni- dei articus  
 hil colloquamur, intuere tu iam, obser- lum.  
 uade mi pater, quod te per salutē tuam  
 oro, intuere obsecro in istum gregem  
 cui fauere te quidem vehemēter doleo,  
 ego uerò vna tecū non ita pridē adiun- Hæreticos  
 ctus fui, & mecū aliquantisper reputa- rū synagos  
 quo omnia in ea studio hodie ferantur. ga describi  
tur.

Veram religionē, quæ scripturis tra-  
 dita est, quæq; ex maiorū nostrorū au-  
 thoritate constare debuerat, non modo  
 negligi patiūtur, sperni, cōculcari, qui  
 præcipui ac velut capita sunt, verū etiā,  
 quotquot potest, eos oēs à debita ei obe-  
 dientia, honore, ac obseruantia debita,  
 subducere & auellere conātur: parumq;  
 referre putant, quid de Ecclesia homi-  
 nes credant, modò scripturas torquere  
 ad

IO. IACOB. RABVS

ad suum nutum discant, ac in eo, spem suam vnicam defigant, si fidem, non dico habeant, sed habere se opinentur, Nec valde etiam afficiuntur, si Dei gloriam manifestis blasphemijs inquinari contingat, modò vilitatus ille eruti è tenebris Euāgelij fucus, quo omnem suam hæresin palliare solent, saluus ipsis ac integer permaneat.

*Lutherani  
urgent Euāgelium,  
cū nobis tamē  
non dū  
ex Euāgelio  
demonstrānt,  
suas hæreses  
veras  
esse.*

*Religio  
Lutherana  
narrat.*

Cur ergò tanta acerbitate, tantoque conatu pro fide illa sua speciali, pro ficitijs istis sacramentis, ac mille id genus deliramentis alijs aduersus nos bellum gerunt, vt sine eorum omnium approbatione saluam fore Euāgelij veritatem negent, cū tamen nihil eorum in hunc vsque diem ex Euāgelio solidis, quas requirimus rationibus demonstrauerint? Cur? vis vt dicam? nempe quia illis nullus Dei timor est: religio nulla, pietas nulla, nisi quæ & voluptario illi veterum Epicuro olim probata fuit vnica, Culina, non ea certè vacua, sed

sed quæ plenitudinem stillet, ac rerum  
 omnium abundantiam polliceatur. Quid  
 amplius? Scilicet ut quisque pro suæ  
 culinæ foco maximè desudat, ita pro  
 sua impietate acriter contra nos debac-  
 chatur, nec interea in vlllo adhuc, quot-  
 quot ex ista fece aduersus nos erupe-  
 runt, vnicam veri zeli significationem  
 animaduertere licuit: quin in id omnes  
 nouimus incubere, ut extirpato ac ra- Quid con-  
 dicitus euulso veri Dei cultu, impunè nentur Lu-  
 ipsi non tam circa bona hæc nostra exter- therani.  
 na, quam animas nostras grassentur.  
 Hunc illorum affectum nemo non no-  
 uit, nisi qui non nouit illos. Nec volo,  
 pater, ut odiosa horum exempla mihi  
 extorqueant: quorum etsi mihi plura  
 quam ipsi forsitan nunc vellent, cognita Infelicitas  
 sint, tamen ex aliorum infelicitate non tatis a totis  
 dependent res meæ: nisi quorundam non misis  
 fortè improbitas, quemadmodum ce- tandum.  
 pit, ita pergat, me quæ; eò tandem permo-  
 ueat, vt in communem Reipub. Chri-  
 stianæ



stianæ utilitatem ea orbi incipiam ma-  
nifestare: quæ sepulta alioquin, ipsi  
vnà mecum cuperent.

*Probat Ec-  
clesiam ue-  
ram non  
esse, Luthe-  
ranorum  
scholam.*

Sed omissis hisce, quam obsecro per-  
fectionis speciem sibi isthæc congrega-  
tio, pro qua precones vestri tam acri-  
ter dimicant, vsurpare demum potest?  
Cogita, obsecro te, obseruande mi pa-  
ter, quæ dicturus sum. Primò nec vna

*Discordia  
Lutheranorum.*

est nec indiuisa in se, neque itidem ea-  
dem est cum Ecclesijs præcedentibus,  
ex quibus, continuata eam serie, si vera  
esset ac perfecta, ad nos vsque profluxis-  
se oporteret. Non quidem in se est vna,  
quoniam in sexcentas credo formas di-  
uisi sunt vestri, sibi ipsis facti decies hæ-  
retici. Quæ varietas illorum, quæ non

*Probat, ex  
Lutheri do-  
ctrina hos  
diernos tu-  
multus pro-  
fluxisse.*

incommoda nobis, quas non passim  
seditiones excitauit? Primùm quidem  
cepit vilipendi ac proteri pedibus sa-  
cro sancta maiorum nostrorum autho-  
ritas ac patrum traditio: at mox ven-  
tum est ad audaciam temerè opinandi  
circa



circa fidē. Ea admissa, mox necesse erat  
 vt Hieronymus, Augustinus, Gregori-  
 us, Ambrosius, &c. negligerentur, quos  
 suæ fidei propugnatores veritatis stu-  
 diosi afferebant. At antiquis sanctis  
 posthabitis, despectui quoque sunt ha-  
 bita eorū Concilia. Vnde consecutum  
 est, vt ad hæreses res delaberetur: ex hæ-  
 resibus tandem ad arma conclama-  
 tum est: & ceptum est iam non tam lin-  
 guis aut calamo certari, quàm robo-  
 re brachiorum, ferro, tormentis, non-  
 nunquàm per insidias, aliquãdo aperto  
 Marte, adeò, vt præter Rusticos, quos  
 doctrina eadem perdidit, intra paucos  
 hos p̄ximos annos, plures quàm qua-  
 terdecies mille nostratium occubuisse Nota.  
 putem. Et in hac tanta varietate, in his ☞  
 tantis dissidijs, quorsum obsecro re- Eph. 4.  
 condunt illud Apostoli: Vnū corpus &  
 vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe  
 vocationis vestræ? Quorsum & illud?  
 Idipsum dicatis omnes, & nō sint inter 1. Cor. 1.  
 vos

vos schismata, sitis autem perfecti in vno sensu & vna sententia. Nec volo, pater, ut illi mihi suam Ecclesiam obtrudant, qui istic Euangelio præsumunt adulterando, hoc quidem nomine: diuersum ego de ea sentio, his nimirum 40. annis proximis facilè sex vicibus Euangelium in ea mutatum esse: tanta nunquam cum animorum disiunctione, tum partiù impetu, vt quæ gerebantur, parùm admodum ab intestino malo differrent.

*Ecclesia  
Lutherana  
non  
fluxit ex  
precedens  
tibus.*

*1. Tim. 4.*

*2. Tim. 3.*

*Iude*

Iam quo, obsecro, vinculo istù cœtum suum præcedentibus Ecclesijs annexum esse persuadeant? de quo certissimum est, processisse eum, ex malitia hominum in nouissima hac mûdi ætate, de qua Apostoli dudum antea vaticinati sunt, nequaquam verò ex superioribus Ecclesijs, in qua maiores nostri vixerunt, promanasse.

*Nō est sancta  
Lutherana*

Sed neq; sancta est, cum & sanctificationem tollat, populo Dei tantopere

necessariam, ut testetur scriptura, nihil ranorū Ec-  
clesiā.  
 coinquinatū ingredi posse uitam æter- Apor. 214  
 nam: nec credat peccatum verè tolli nō Aug. 1. li.  
cont. 2. epi.  
Pelag. c. 13  
 tantū radi, ut Augustinus ait, sed re-  
 manere etiam post baptismum, tegi nō  
 imputari: & horum nobis loco nescio  
 quam commentitiam ac operibus va-  
 cuam fidem obtrudat. Sed quid de fir-  
 mitate? Ego verò ita sentio, pater, uix Lutheri  
Ecclesia  
hodie ferè  
perijt.  
 vestigia adhuc eius apud vos doctrinæ  
 superesse, quam Lutherus initio tanto  
 cum omnium applausu in orbem Chri-  
 stianum inuexit. Aut quia illi vestri suā,  
 hoc est, Vlmensem Ecclesiam cum Lu-  
 thero sentire arbitrātur (quod tamen, si  
 vellem, longè aliter se habere, demon-  
 strarem) an ne propterea statim ean-  
 dem omnibus laudem arrogabunt? Et  
 quid cum vicinis modò suis faciēt, qui  
 18. milliari quā Necarus labitur, istinc  
 positi, tot hodie interuallis à Luthero  
 dissentiunt, quod passuum millibus ip-  
 sorum antrum ab Albidos ripa abest?

D

Quid

IO. IACOB. RABVS

Quid uerò cum cæteris, qui ex altera urbis vestræ parte, nono istinc lapide Boios nostros respiciunt? Equidem plures commemorare nolo, etsi possim facile: id manifestum est, illas ipsas etiam, quæ sub Lutheri nomine scholæ numerantur, odio quodam ac dissensione implacabili à se inuicem dissidere, ut quæ firmitas esse debebat, ea in ipsis nullibi appareat. De Caluino uerò quid? uolens enim reliquorū fidei proditorum sectas omitto: Sed uerò quid de uenefico isto? nimirum negare mihi tui non possunt, sibi istic, suisq; passim uehementer nocere dulce illud facinorosi istius virus: nec uerò dissimulant ipsi in re perspectissima, sibi solū mortuū esse, si sic pergat, ut cepit, Caluini impietas. Quod quemadmodum id sæpiusculè, me interdum præsentem, conquerentibus libenter credidi (nam & mihi Caluini placita potiora semper Lutheri ineptijs in plerisque uisa sunt,

*Caluinus  
hodie Lutheri  
superior.*



sunt, vt nosti) ita verum quàm sit, nunc  
 primùm experior, meque eo conso-  
 lor maximè, quòd futurum sperem, vt  
 quemadmodum exulanti nunc Luthe-  
 ri doctrinæ ueritatis opinio à Caluini  
 asseclis pridem adempta est: ita & ho-  
 rum tumorem, animiq; singularem ar-  
 rogantiam alij quandoq; compescant,  
 donec omnes uideamus euanuisse.

Sed num Catholica est Ecclesia ista? *Lutheri  
 Ecclesia  
 non est Cat  
 holica.*  
 Nihil certè minus. Nā vt res omittam,  
 que tamen me nondū deseruerunt, quis  
 tuorū obsecro tam temerarius est, qui,  
 vt Augustini sanctissimi viri verbis utar, *Cont Epi:  
 stolā. Manu  
 ca. 4.*  
 petēti peregrino alicui, ubi ad Ecclesiā  
 Catholicam conueniatur, basilicam  
 suam ostendere ausit? Equidem vni-  
 uersos eos prouoco, si ipsorum aliquis  
 Ecclesiæ suæ dignitatem hanc ascilce-  
 re sustinebit. Quod si ita non est, ec-  
 qua ipsis causa fuit alia, vt paulò ante  
 dixi, cur ex institutionū suarū formulis,  
 dictionem hanc eradere, eius verò loco



IO. IACOB. RABVS

Ecclesiam Christianam profiteri maluerunt? Vt iam non illud modò, quod multi præclari viri, inter quos Staphylus noster, dum viueret, primus fuit, testatum fecerunt, eos de articulis fidei dissentire, sed, quod maius crimen est, sustulisse omnino dixerim. Illa uerò vox, quam usurpare in nos solent, Si vniuersalitate describatur, Ecclesiam Catholicam fore, blasphema (inquam) vox illa quid sibi vult aliud, quàm quòd spernere, conculcare, pessundare conantur homines, omni spe destituti, ea fidei fundamenta, sine quibus veritas Ecclesiæ Christi parùm potest consistere? An ne ipsis malũ videtur, quod ex illa dictione docere nostri solent, Electos Dei omnes, licet per totum terrarum orbem diffusi sint, ita tamen in Christo esse connexos, ut quemadmodum ab vno capite visibili pendent, ita in vnum ueluti corpus coalescant, ea inter se compage iuncti, qua eiusdem cor-

Blasphemia Lutheri et inorum vox.

Sic inter ceteros Breuius estra P. à Soro.

Catholici quid ex uoce, Catholica, euiuztant.

corporis membra, verè vnum facti, qui vna fide, vna spe, charitate vna, eodem Dei spiritu simul viuunt, nõ in eandem modò vitæ æternæ hæreditatem, quam sperant, sed in vnius Dei ac Christi participationem etiam uocati? hæc ne ipsis omnia friuola sunt? Apagesis stupidam illam æstimationem.

Apostolica uerò quo pacto sit, quæ non tantùm traditionem nullam Apostolicam admittit, aut ferre usquam potest, ut de legitima Episcoporum successione in sede Apostolica quicquàm dicatur: uerùm de origine etiam sua, ex qua promanauerit, suspecta ab omnibus meritò habetur? Vnde enim eam primò omnium profluxisse dicas, præterquam à Luthero, primo illo, ut iactat falsò, Germaniæ nostræ Apostolo? At uerò quis fuit Lutherus? Age demonstrent, quotquot istic sunt, eum ab vno aliquo eorum, qui Apostolis successisset, constitutum fuisse Saxonæ Episcopum.

*Lutherano  
rum Eccle  
sia nec apo  
stolica est.*

*Origo Lus  
thericæ Ec  
clesiæ.*

D Marz  
bachius.

D Iacobus  
Schmidlin.

Conc. Nic.  
cap. 3. Car-  
thag 4 c. 1  
Extat etiã  
Canon apo-  
stolorum de  
eadem ordi-  
natione.

pum. Aut ut apertius agam, quod ueritatis nomine licere mihi arbitror, probet mihi, pater, Marpachius ille uester, se per ostium ad istud regimen intrasse, per quod intrauit Ignatius: Ostendat vicinus tuus, D. Smidlinus, se Tybingensis Ecclesiæ præposituram ea fide obtinere, qua Polycarpus Smyrneni populo Episcopus est præfectus. Quis unquã vocauit Lutherum? Quis designauit Marpachium, Episcopus ut esset Argentinensis? Quis ad Ecclesiam regendam asciuit Schmidelinum? Ante mille & quadringentos prope modum annos, illud in Ecclesia à Concilio Niceno constitutum, ac deinceps à Carthaginensi 4. confirmatum est, ut qui ad Episcopatum assumerentur, à tribus Episcopis ordinarentur. Hoc ritum ad ista dignitatis culmina ascendisse se demonstrant, & vicerint. At verò cum id nondum potuerint, nec possint unquam, libet nunc mihi illud Terullia-

tulliani per quàm elegans dictionem De præscript. ad har.  
 ipsis occinere: ostēdite mihi, ex qua au-  
 thoritate prodieritis: origines edite Ec-  
 clesiarū, Episcopatumq; vestrorum,  
 euoluite Episcoporum uestrorū ordinē,  
 ita per successiones ab initio decurren-  
 tem, vt primus ille Episcopus aliquem  
 ex Apostolis, uel Apostolicis uiris, qui  
 tamē cum Apostolis perseuerauerit, ha-  
 buerit authorem & antecessorem &c.

Nūc progredere unā mecum in con- Qualis schola sit Lutherano- rum.  
 tēplatione scholæ istius, ac qualis præ-  
 ter has quatuor notas sit, attentius per-  
 pēde. Noua est & nuper nata: dubia est  
 & incerta: nullis confirmata est mira-  
 culis: patrum consensum auersatur:  
 schismatica est in se: mouet Christo præ-  
 iudicia, inter mortuam fuisse Ecclesiam ca-  
 uillatur, idq; nescio quot seculis: uerā  
 negat remissionem peccatorū: Christū  
 mendacē facit, eius beneficia obscurat:  
 ac, nisi prorsus fallor, animarum quoq;  
 perennitatem dubiam habet. Eius enim



rei non nullum omnino argumentum est, quòd mali omnis causa Lutherus vester, quæ de ea à maioribus nostris piè definita constitutaque Christianus hodie populus profitetur, eo ipse in loco habenda esse duceret, quo & cætera pontificum decreta ponere consuevisset. Quæ prodigiosa uerborum portenta ex quo fonte profecta fuerint, tui viderint: apud me certè suspiciosa sunt, nec puto ab vlllo excusari facile posse, nisi vim apertissimis sententijs afferat: tum verò sic apud me statutum est, nisi mihi ea mitigata fuerint, peculiari rem totam libello demonstraturum me, ut vel sic tandem illud eiusdem Lutheri uel stri  $\delta\epsilon\gamma\iota\omega\mu\alpha$ , quo nescio quem somnũ animabus ad iudicij vsque diem tribuit, ac quis ipsius finis sit, imprudentioribus ostendatur. Sed pergo: Ritus, mysteria, ceremonias illas ferè omnes, quæ longis temporibus conseruatae, per quendam quasi defluxum ad nos proma-

*Vide Luth  
in asser.  
art. 27. ab  
illis uerbis:  
concedo ta  
men: usque,  
Operculũ*

*Lutheri cõ  
mentum de  
sõmno ani-  
marum.*



pròmanarunt, synagoga ista immutat. *Nota bene*  
 Quod si à cælo monitam, aut à spiritu  
 Dei motam se esse contendat, ad moli-  
 endum ista tam ardua: signa veritatis  
 suæ ostendat, quibus incredulis nobis  
 fidem faciat, à Deo ipsum esse quod ge-  
 rit. Postremò, vt omittam alia, qualis  
 sit, vel à fructibus cognosci potest, vt-  
 pote quæ tantum sectarum aceruum,  
 tot seditionum turbas, tantam vitio-  
 rum licentiam peperit. Nec dolosam  
 hîc fallaciam illorum, vsitatissimam  
 tamen, & quam perpetuò nobis ad  
 nauseam etiam vsque inculcant, τὸ σὺμ-  
 βολικόν, quicquam moror. Quæ con-  
 tingere possunt, de ijs ego nunc non di-  
 sputo: illud vrgeo, de quo certus sum,  
 quicquid malorum, turbarum, vitiorū *Ipsa Luthe-  
ri doctrina  
scandalosa  
est.*  
 hæc nostra ætas patitur, omne id ex do-  
 ctrina illa tuorum prouenire. Idq; nūc  
 mundus nouit vniuersus: quantum-  
 cunque etiam resistent: hoc inquam ex-  
 ploratissimum omnibus est, quòd tot  
 D v pas-

IO. IACOB. RABVS

palsim sectæ enascuntur, quòd plebs aduersus Magistratū insurgit, quòd veritas Christi conculcatur, quòd antiquæ redeunt hæreses, & desponsæ Deo virgines uiolantur, & templa ædesque sacræ ornamentis suis, ac suorum præsidio spoliantur, quòd maritis coniuges eruptæ violenter, cõtra ius fasq; alijs copulantur &c. Horū flagitiorū omnium non minus authores esse vestros illos præcones, quàm Arrius olim fuit abducti ac infecti totius ferè terrarum orbis. Quod per quàm mihi facilè esset, re priuatis nonnullis exemplis confirmata, nunc euincere, nisi breuitatis studium rursus me cohiberet.

Sed stultus ego sum, qui multis persuadere tibi volo, quæ vel manu cõrectare potes. Nam tametsi res ipsæ, quæ tamen in manu mea sunt, in hac me velitatione deficerent: at vtriusq; partitis cognomina apertissimè demonstrant, veras germanasq; Ecclesiæ notas

*Verius quæ  
partis cognomina  
quid efficiant.*

tas habere nos, vos non habere, quantumcunq; etiã Ecclesiæ nomine vestri *Adversus Lucif.* turgeant. Si cubi ait eximius ille Hieronymus noster, audieris tales, qui à quaquã, quàm à Christo aliter nominatur, utpotè, Marcionitas, Valentinianos, Heluidianos, Iovinianos &c. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse *August. 1 li. 1. contra Crescon. Epiph. b. 2 ref. 70. Audianos rum.* synagogã. Quo eodem discrimine D. Augustinus & Epiphanius Græcus falsos Doctores à legitimis distinguendos esse censuerunt. Nos itaq; cùm in Catholica Ecclesia vnũ fidei Magistrum, vnũ Christũ, eiusq; cognomentũ quasi hereditariũ geramus, planũ & expeditum est, hãc quam penes nos habemus, Christi Ecclesiam: vestrã verò, quæ Lutherana est, Antichristi esse synagogã.

Hæc omnia cum se ita penitus habeant, tu ne mihi veritatis ruinam diutius obijcias, mi pater, qui ut Christum eò rectius inuocarem, ac causam agerem animæ meæ, impia illa vestrorum dogmata

IO. IACOB. RABVS

gmata explosi, ac scholas execratus  
 sum? Quid? an ne ueritatis ruina est,  
 deserere errorē? mendacium fugere? ue-  
 ritatem amplecti? Christi sponsæ adhe-  
 rere? adulteram repellere? Mendax igitur  
 tibi sit oportet ac ueritatis hostis,  
 vas illud electionis, Apostolus Paulus,  
 mendax sit Iustinus, fortissimus tamen  
 Christi tēstis, sit & Augustinus, præcla-  
 rus ille ac sanctissimus Hipponen-  
 sium Episcopus. Hisce enim qui annu-  
 merer, etsi indignus planè sim, eadem  
 tamen ac par utrobique causę ratio est:  
 ut qui ipsos ad immortalis Dei agniti-  
 onem perduxit, is idem spiritus & in  
 me rem sit tam eximiam ac salutē ope-  
 ratus. Hoc si tu perfidię, defectionisue  
 nomine dignum censes: agrè quidem,  
 prout debeo, molesteque fero, malè te  
 ac iniquè opinari: at in eo me rursus  
 cōsolor, quam tu perfidiam uocas, eam  
 mihi aditū ad fidē patefecisse: quę ve-  
 rò defectio tibi est, ea mihi ueritatis iter  
 demum



demum esse commonstratum. Quare  
in quo tu me perfidum, veritatis hoste,  
infelicem esse putas, ego te me beatum  
planè prædico: cui DEVS clarissimã  
doctrinæ suæ lucem immisit, ignoran-  
tiæq; tenebras dispulit, quibus ego istic  
totus aliquando fui circumfusus. Crè-  
de mihi, pater, quotiescunq; profun-  
dum illud errorum pelagus, ac verè tur-  
bulentum illud vitiorum mare, cui im-  
mersus hæsi, atrociam denique illa vestro-  
rum prælia, quibus sese mutuò tantum  
non conficiunt, mihi considerãda pro-  
pono: vehementer à ruinosis istis scho-  
lis exhorresco, à quibus eò quoque ani-  
mo sum alieniore, quò magis proprio  
meo damno expertus sum, quàm non  
in Dei, sed priuatam ipsorum gloriam,  
non in salutem, sed perditionem ani-  
marum, istæc doctrina vergat. Quod vt  
intelligas quid sit, equidem dum inter  
eos vixi, exiguas admodum, sed quid di-  
co? nullas tutius dixerò tràquillæ mē-  
tis



*Apud Lu  
theranos  
nulla requis  
es esse pos  
test.*

tis cogitationes vnq̄ concepi: nec verò  
vllum qui habere possit hominē reli  
gioni deditum (quid enim ad nos simu  
latores?) esse puto, quin cōscientiē pres  
sus pōdere, naui instar, quæ ventis ma  
ri validissimis concussa, terra cælū te  
tra quadā caligine obfuscante, discor  
dibus inter se nautis, nunc huc nunc fer  
tur illuc, perpetuò fluctuare cogatur ac  
vacillare. Et quid mirum? in tanta mil  
le credo opinionū varietate, quarū que  
verior ac ea sit, in qua beatitudinē con  
sequi possis, non agnoscas: vbi summa  
est dissensio, nulla pax, cōcordia nulla,  
vbi alter in alterum sic debacchatur, vt  
sibimetipsis fiat decies hæretici. In cru  
entis hisce certaminibus, quæ quæso  
spes, quæ ue certitudo animo esse po  
test? quo verò modo, ea sibi quis appli  
cet, dicta factaq; Christi, quorum cau  
sa nos vt locupletaret è cælo descendit,  
nisi qua ratione vbiue apprehenden  
da sint, antea nouerit. Illud enim ex  
pedi

*Contentios  
nes hæretic  
corum.*

*Consciens  
tia nulla  
consolatio  
est apud  
Lutheran  
os.*

*Probatur,*

peditum est, quamdiu extra hominem  
 Christus est, & ab eo separatus, quic-  
 quid in salutem humani generis ope-  
 ratus est, ei esse inutile nulliusque mo-  
 menti. Ergò nobiscum ea, quorum  
 causa venit, vt communicet, nostrum  
 fieri & in nobis habitare oportet. No-  
 ster autem non fit, nec esse cupit, quam-  
 diu extra Ecclesiam inter nos distrahi-  
 mur, sicut ipse testatur. *Lucæ II. Qui*  
*non est mecum, dispergit. Fieri enim*  
*si noster esse debet, fide illud vera, quæ*  
*altercationes ac proteruas eiusmodi*  
*rixas nullas nouit, fieri necesse est,*  
*qua allatæ salutis æternæque beati-*  
*tudinis participes efficiamur. Ergò in*  
*vnus Ecclesiæ integræ, hoc est, quæ*  
*in seipsa distracta rupta ue non sit, si-*  
*nũ aggregari Deus vult, quotquot trã-*  
*quilli esse cupiunt, ac saluari, non mo-*  
*dò vt eius opera alantur, quandiu*  
*infantes ac pueri sunt, sed cura eti-*  
*am materna regantur, solatia habeant*  
 gra-

IO. IACOB. RABVS

gratiæ diuinæ, donec adolescant, ac tandem perueniant ad benè factorum meritam. Ex quo tandem manifestè consequtur, quàm non tranquilli esse, quàm non communem illi patrem habere, ac cęlesti verbo suas animas fulcìre queāt, qui scissis istis vestrorum factionibus adhærent: & à corpore Christi separati, dubijs hinc inde mentibus perpetuò diuagantur. Quæ vna molestia, sed ferax admodum aliarum anxietatum cõplurium, quantopere me quàmq; crebro excruciarit, ipse mihi cõsciũ sum, & multis alijs, quibus cum familiariter vixi, notæ adhuc esse possunt lamentationes meæ, quanquam tum fortè pueriles à nonnullis haberentur. Quindécim annorum adolescens, Vuittebergam abs te, cum quodam Vuolffgangorum meorum informatorem Rectoremq; esse voluisti. Quæ tunc querelæ, qui gemitus mei, quàm graues, quàm frequen-

frequentes fuerint, nec ipse diffitebitur, si veritatem amet. Paulò post Catholicorum libellis affici cepi, locis imprimis Eccij nostri communibus, deinceps & Staphyli, quæ tum scripta extabant. Lectis ijs ac perlectis non absque cõmodo, cùm ad grauiora nunc studia animũ adiecissem, quæ maiorem quoque ætatem decere possent, ac animaduersa post tandem, quàm Tybingam peruenissem, ipsa rerũ omnium Catastrophe, quorsum doctrina ea, cui adharerem, perductura me aliquando videretur: dicam quod res est: continuo vacillare cepi, fluctuare, agitari dies ac noctes, pedetentim verò magis ac magis ad meliorẽ causam progredi, donec tandem penitus euasi. At verò, quanto-pere prius quàm euaderem, appositus ille custos, cõscientiæ meæ pondus grauisimum, me obseruauerit, vrserit, ad quas me angustias nonnunquam redegerit, perspecta illa omniũ disiunctio,

E                      discor-



IO. IACOB. RABVS

discordia, doctrinae leuitas, inconstantia, actiones meae tum multis ostenderunt. Nec vestri opem hinc ullam afferre poterant: quaeque vulnerum fomenta ipsorum mihi studio adhibebantur, ea vel falsa, vel deprauata, aut eius erat generis, quae leuitate sua, confecto prope modum animo meo, dolores delinire, aut cicatrices obducere non valerent. Et quis ea adeo miretur? Nimirum euidentis est, nisi Ecclesiae sedes certa sit, nullam omnino requiem, nullam cum Deo pacem, nullam fiduciam habere posse conscientiam: sed assidue trepidare aestuare, cruciari, horrere, & quid non? Scilicet leuiuscula illa commentitiae istius fidei aspersio, conficta vndique salutis vestrae securitas eam cordis amaritudinem sanaret, cui mereri nisi Christus in Ecclesia sua nemo potest.

At verò ut nunc sese res mecum habeat, quæris pater? Ita profectò ut nunquam meli-



melius. Nam tametsi plura à me ab-  
 sint, quæ apud te cumulatè adfuerunt:  
 ea tamen eiusmodi ferè sunt omnia, in  
 quibus ego rebus nullam vnquam par-  
 tem beatæ vitæ repositam esse putavi.  
 Ast eorum loco multa adsunt, quæ ego  
 statuo esse potiora: Pax animi, & de-  
 siderata toties conscientiæ meæ tran-  
 quillitas, vbi mihi fas non est, vt am-  
 bulem inflatus sensu carnis meæ, vt  
 quod apud vos honori ducebatur ali-  
 quos intellectus producam singulares,  
 novos, Christi gloriæ repugnantes: sed  
 cum nunc sim eius corporis membrum,  
 cuius caput Christus est, necesse est, vt  
 voluntatem meam ligem, ac in obsequium  
 illius, intellectum meum captiuem. Por-  
 rò & alia nonnulla adsunt: mens me-  
 diocribus contenta rebus: Catholicæ  
 Theologiæ quotidiana ac diligens in-  
 dagatio: eorum, quibus inseruio, beneuo-  
 lentia, quibus cum viuo humanitas:  
 imprimis autem Catholica illa ac verè

IO. IACOB. RABVS

fraterna CHARITAS, quæ & maxima est virtus, & rectam ad immortalitatem viam munit: cuius ego ne vestigia quidem vlla apud vos vnquam perspexi. Et quam ego mihi, obsecro te mi dulcissime pater, ex omnibus vitæ rationem optare potuissem aliam, quàm hanc, quæ mihi singulari Dei beneficio tributa est.

Et hæc prior esto Epistolæ mee pars: qua id constitutum esse confido, fidem me non deseruisse, sed accepisse, nõ negasse, sed veritatem suscepisse.

*Altera  
Epistolæ  
pars.*

Ad ea venio, quibus nomen personæ meæ tantopere deformandum sibi suscepserunt, qui te aduersus me stimulant: in quibus etsi quid me deceat nõ ignorem omnino, vtpote cui persuasum est, laudari me à vestra parte impensius nõ posse, quàm si vituperet: vicissimque odiosius non traduci, quàm si quàm maximè possit, laudet, si verum est, vt certè est, quod Seneca ait: sed tamen & fa-

*Laudari a  
malis vicijs  
perari est.*

& famæ consulendum nōnunquam est Famæ etiā ratio est habenda.  
 publicæ, & tantū non concedendum  
 improborum furori, ut ipsorum contu-  
 melijs veritas cōfici videatur. Agam au-  
 tem de ijs rebus breuissimè, tum quòd  
 parui eæ momenti sint apud grauiores,  
 tum verò quòd priuatis eas actionibus  
 inter nos componi malle, quàm scri-  
 ptis publicè diu multumq; agitari.

Itaq; quod primò mihi crimen obji- I. Crimen diluitur.  
 citur, impietatis erga te, grauissimam  
 quidem accusationem in se continet,  
 sed quæ cū iniqua sit ac falsa, nequa-  
 quam laboriosa defensiōe opus habet.  
 Non ignoro, pater, dum præsentis vitæ  
 benedictionem Dominus pollicetur fi-  
 lijs, qui parentes, qua decet obseruan-  
 tia, coluerint, simul cum innuere, omni-  
 bus immorigeris nec obsequētibus cer-  
 tissimum imminere interitum: ac mul-  
 ta sanè exempla passim habentur, quæ  
 non vanam hanc esse comminationem  
 argumento sunt. Contra verò & il-

IO. IACOB. RABVS

*Quousque  
liberi sub  
iecti sint  
parentibus.*

lud certum est, nec tu ignorare potes, pater mi, quod parentibus filij non nisi in Dño iubentur obedire: cuius hæc videtur esse ratio, quòd in eo ipsi loco præfident, in què posuit eos Dñs, communicata cum ipsis honoris sui portione. Quæ ergò submissio illis exhibetur, ad suspiciendum summū illum patrem gradus esse debet. Quare si in legis transgressionem nos instigant, meritò tum nobis nõ parentes habendi sunt, sed extranei: qui nos à veri patris obedientia subducere conantur.

Ergóne ego contumax, non obediens, impius tibi habeor, qui eius me patris imperio subieci, in cuius manu erat resistentem ad sempiternam illam sceleratorum sedem præcipitare? Quàm hîc dignè accuser, prudentes iudicent. Equidem scio, pater, quid de me sentiant, qui dudum vnà cum fide, ipsam fidelitatem quoque ac honestatis nomen amiserunt, quàm illi acerbè in me dica-



dicaces sint, quantopere aduersus me despumēt, q̄ salutaribus patris charissimi, quiq; me vnicè semper dilexisset, monitionibus, tum verò & fidelissimis amicorum consilijs non obsecutus, ex liguriēte quadam pertinacis ingenij peruicacia huc deflexerim: ita enim loquuntur homines nefarij, ac ad carpendum promptuli. At quid ego tandem præstare possum aliud, quàm quod præstiti in hunc vsque diem, ac posthac etiam præstabo, dum viuam, sedulò? Obseruantia nimirum tibi debeo, obedientiam debeo, pietatem debeo, debeo & illud, vt quibuscunque possum officijs te prosequar. Ad quæ non illi me primùm monere debent: ipsa me natura quodammodo ad ea instituit: ac monstra esse iudico, non homines, qui patriam potestatem contumeliosè infringunt. Cur ergo, *Ad Helio-  
dorum.* inquit, vincula hæc rupisti? Audi, mi pater, D. Hieronymum pro me

IO. IACOB. RABVS

stantem respondere: facilè, inquit ille, rumpit hæc vincula A M O R D E I, & G E H E N N Æ T I M O R. Mirum, pater, si hæc viri sanctissimi verba imos quoque sensus tuos non penetrant: nec ego quicquam dubito, vtriusque rationem iam abs te intelligi. Id nondum video, qua in re ruperim. Nam si obseruantiam spectes, habuisti à me, habes & hodie adhuc, quanquam absens sim, apud me omnem venerationem tibi debitam, quod & ij nôrunt, quibus cum viuo. Obediētiam desideras, pietatem exigis: en tibi, pater, mancipium tuū: iube, manda, impera: quicquid fuerit, subiectus ero. Illud solū memineris, dum vrgeor, vt D E I gloriam veritatis negatione polluam, legitimam à me obedientiam nullam desiderari. Hæc enim quò perfectior est, eò se magis eius volūtati subijcit, in cuius manu est, filium vna cum patre perdere in perpetuū. Animum postulas memoriam?

rem? en rursus, pater, gratus & esse & videri cupio, nec quicquam in me reperio, quod ad tuum commodum non vehementer desiderem impendere. Petis plura? En vitam hanc, famam, dignitatem hanc, omnia denique mea ad arbitrium tuum. Aliud verò nō possum.

*III. Crimini  
na alia dis  
luuntur.*

At offendisti me, ais, familiam nostram cōtaminasti, fraudasti me eorum fructu, quæ ego tibi tanta impendi. Benè tu quidem pungis, pater, vt vel medullam exuras. Veruntamè cū offensio hæc fidei sit, per me sanè præstari nō potest, quò minùs Christus tibi non sit petra scandali, lapisq; offensionis. Sed iam antea de hoc dixi. Equidem illud certò scio, qui pietatem colit, hūc gratam quoque voluntatem erga parentes gerere, eorumq; voces DE Iloco audire debere. Neque verò tua id primū monitione scio, verū naturæ ius est, quod mihi nulla persuasio, sed vis quædam affert innata. Nunquid verò à me

E v fit

fit aliud? Nihil, puto: nec ego mihi conficius sum. Illud abs te per immortalem Deum, per eum qui iudicaturus est viuos & mortuos, peto ac obtestor, ne me eò, Dei vt verbum negem, adigere tam truculenter coneris: hîc enim vel vitam hâc mihi citiùs exemeris, quàm animû vel pollicitationibus flectas, vel minis terreas, eò recidendi, vnde tanto cû gaudio emerſi. In quo proposito, voluntatisq; meæ constantia, qui me mentēq; verâ cōfirmat, D. Hieronymus est, grauiſſimè monens, vt, quemadmodû parentes audiri debeant, ſi, quæ honeſta ſunt, imperēt: ita parendû eis nullo modo eſſe, quoties quæ facta pietatē lædūt, verecundiam eximunt, famam inficiūt, præcipiant, aut quoties ad perfectiora aspirantibus iniuſtè aduerſantur. Quicumq;, ait, parentes ſuper Chriſtû amat, perdit animâ ſuam: gladiû tenet hoſtis, vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? propter patrem militiam

*Ad Heliodorum.*



am Christi deserā, cui sepulturā Christi causa non debeo? quam etiam omnibus eius causa debeo. Quid ergò? En tibi Epilogum, pater, affectu Christiano plenum, si ego quicquam iudicare possum. Licet, inquit, sparso crine & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat: licet in limine patris iaceat, per calcatum perge patrem, ficcis oculis ad vexillum crucis euola, solū pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Hæc Hieronymus.

Nunc ergò mihi tua pace licitum sit, obseruande mi pater, non nihil ijs in rebus abs te deflectere, in quibus præter manifestam glorię conditoris mei pollutionem consentire tecū non possum. Cogita obsecro, esse mihi, præter te, patrem adhuc aliū, ac te quidē superiorē, qui non solūm quod & tu potes, hanc mihi vitā adimere, verūm & animā simul cū corpore, qua tu potestate cares, perdere queat. Huic si quid interdum  
 plus

IO. IACOB. RABVS

plus fortassis quàm tibi præstitero, noli tu, quæso, contumacię protinus flagitio condemnare innocentem, sed illud magis sentias ita planè conuenire æquum esse, vt quem conditorem venerari, diligere redemptorem, vereri cogor iudicem, breuiter, quem summum in me ius exercere scio, eum ego supremis quoq; officijs, studijsq; quibus possum omnibus prosequendum esse ducã. Ab hoc Dño ac patre meo, noli quæso & tu pater, post eum mihi verè charissime, noli inquam aures tuas animumq; tuum tanta cum alienatione auertere: præsertim vbi de re tanta agitur, nempe quomodo suam dignitatem immortalis Dei veritas retineat, quomodo regnum eius sartum tectum que in animis nostris perpetuò duret. Digna res auribus tuis, digna cognitione tua, digna officio tuo. Siquidem & verum patrem hæc demum cogitatio facit, agnoscere se in officij sui erga liberos administratione

tione, Dei esse ministrum. Nec iam paternam voluntatem gerit ille, non administrat quod debebat officium, sed hostilem exercet animum, qui liberis non in hoc imperat, vt Dei glorię seruiat, multumq; deniq; fallitur, qui obedientiam in ijs rebus à suis requirendã censet, quæ Dei voluntati ac sacrosancto eius verbo aduersantur.

Nec perturbent te, quas nescio de qua detestanda labe, familię nostrę per me inusta, inutiles profectò cogitationes admittis. Equidẽ quis sim, quid uel statuere debeã meorum nomine, probè, nisi fallor, noui. Coràm Deo certè peccatorum miserrimus sum, hïc vilis quædam mundi abiectio: nec tamen ad eam adhuc optimarum virtutum inscientiam redactũ me esse arbitreris: quin nostræ domui, vita, pbitate, rebus in Christi hostes præclarè gestis, tũ verò & doctrina mea, ornamenti cuiusuis insigne lumẽ adferre possim. Quod his merationi-

IO. IACOB. RABVS

tionibus efficere posse confido: primò,  
 si Deo omnipotenti eiusq; sanctæ fidei,  
 omni studio, opera, labore, sanguine  
 quoq; si opus sit, deseruiero: Secundò,  
 si laudem generi nostro suam, quâ tum  
 in me erit, in omni sua dignitate confer-  
 uauero: Tertiò deniq; si ea egero medi-  
 tatusq; fuero, quæ honestati ei & com-  
 modo esse possint. Quæ omnia etsi mihi  
 speranda arroganter non sunt: Dei ta-  
 men vnus bonitati ac clementiæ con-  
 fido, illiusq; opem expeto, in qua sola  
 dum agere cupio, spe teneor, posse me  
 eius auxilio fretum, aliquando & ve-  
 stro emolumento, ac bonorum omniũ  
 de me expectationibus aliqua ex parte  
 satisfacere. Nunquid verò, pater, si sic  
 ego agam, talem tibi filium tum de-  
 mum gratulaberis, vbi eos fructus ex  
 me perceperis, qui ad secuturam illam  
 æternam vitam instruere vos, ac viam  
 vobis ad immortalitatem demonstrare  
 poterunt? Quæ etsi tu iam auerferis mei  
 erga



erga vos studij certissima testimonia, ita se tamen habuisse certè cognosces, cùm DEVS noster lachrymas hæc, quas hi oculi mei copiosas pro te stillant, ac gemitus meos suo quandoque tempore acceptando exaudierit.

Quid verò amplius peccaui, pater? inscio me, ais, discessisti: inscio me Papiſta factus es. At quid eo tibi vis? hoc, credo, profugij crimen mihi vt impingas. At meminisse debebas, q̄ tuæ naturæ cōditio eſſet, ratio verò instituti mei q̄ ab ea aliena. Scilicet ſi tu quicquã de voluntate mea intellexiſſes, hæc ego doctrinã amplexus fuiſſem, quam iſtorũ ordinũ calculis damnatam, multis fori p̄iudicijs cōfoſſam iam pridẽ eſſe nouim⁹. Dic verò tu mihi, pater: cū veſtri illi quietis publicę turbatores, ea cōſilia appetant, q̄ ſibiſſis, omiſſa veritatis cura, ac ſuo cōmodo vtilia arbitrantur, ſeq̄; ita gerere videantur, vt quaſi mercede à dæmonibus conducti, eperam  
illis

IO. IACOB. RABVS

illis ipsis in prohibenda, euertēda, pro-  
 fliganda re Catholica strenuam nauare  
 studeant: quid me inter ipsos cū ad-  
 huc essem, animumq; ad has partes in-  
 telligerem permoueri, agere tādem vo-  
 luisses? spectatorē mne conculcatæ ve-  
 ritatis, pietatis perditæ, eiectæ honesta-  
 tis constituere? Et essem tam ferreo pe-  
 ctore præditus, vt atrocitatem illam ve-  
 strorum, illam quam cum Deo ludunt  
 abominandam sanè Tragœdiam salua  
 conscientiæ meæ incolumitate pos-  
 sem aspicere? Qui mœror meus, quem  
 ex calamitate tot animarum miserr-  
 marum caperem, qui animi dolor es-  
 set? qui nō corporis vel asperrimus cru-  
 ciatus, leuior tamen illa acerbitate ac-  
 cideret, diuturnus vt spectator essem im-  
 pietatis ac blasphemiarum tantarū, quas  
 isti in Deum quotidie, in Ecclesiam, in  
 sacramenta denique omnia profano  
 prorsus ore eiaculātur? An cū in hoc  
 communi tanquam nominis Catholi-  
 ci in-

ci incendio, quod ego tum tacitus, ac  
summè mœstus, mecū considerabam,  
eos omnes non ad auxilium, sed ad di-  
reptionem cōuenire cernerē, ego quo-  
que intellectis dolis, quibus luderent,  
particeps aliqua ex parte esse debui tā-  
tarum prædationū? At mihi prius mil-  
lies mors acerba euenisset, quàm illius  
modi culpam, labemue vllam cōscien-  
tiæ meæ imposuissem, iam antea saucię,  
idq; ipsorum Tyrannide. Ergò id quod  
reliquum fuit atque solum, sumendum  
mihi ac constituendum erat, vt videli-  
cet in ea loca abscederē, quò nec odio-  
sum illud Lutheranorum nomen nec  
turpia facta ad aures meas perlaberentur.  
Hoc tandem perficere quî potuis-  
sem, quæso te pater, si quicquam prius  
tu sciuissem, quam urbem ego vestram  
postremò relinquerem? Tūne impunè  
abire passus fuisses? Nimirum id tua me  
facta paulò pòst docuerūt. Quid enim  
factum abs te est aliud, postquam ego

IO. IACOB. RABVS

Dei ope euasiffem, quàm quòd perfonam meam nescio quàm foeda conſpiratione violenter impeti, partim technis, dolis, partim mendacijs, calumnijs inſidioſè fraudulèterq; opprimi paſſus es? Vis fuit, quòd ſanguinariæ prorfus ſententiæ aduerſus me latæ ſunt: fraus, quòd eorum ego inſimulabar criminũ, quorum ne minimam quidè ſuſpicionem vnquã dedi. Quid verò armati illi, quos tu Dilingam, vbi ego tũ fidei fundamenta ponebam, ſub viris Societatis Ieſu, ablegaſti? Nunquid violentiã minati ſunt? Trucidandine mei cauſa miſſi fuerint, an verò vt conſtrictus, niſi cederẽ, ad te abducerer nũc nõ diſputo: alterũ mihi profectò contigiſſet, niſi Immor. Dei potentia cruentis me manibus veſtris maturè eripuiffet. Vnde & illud, quod compertum habeo, definitos abs vobis nescio quot aureos, qui vel adhuc conficiãt filium tuum, vel comprehenſum cuſtodiaẽ mancipent? An non  
iſta



ista fraus est manifesta, cùm ipse apertè  
 nō possis, per insidias ac manus alienas  
 hominē inuadere? Et quid sibi denique  
 voces illę, pater, quas inter vestros istos  
 laniones nō semel iactatas esse audio,  
 non quieturos sese, donec manus suas  
 lauerint in sanguine meo: quid, inquā,  
 Barbarę istę voces nō Euangelicę sibi  
 volunt aliud, quàm quòd odiū mihi il-  
 lud exprimunt, quo non iudicaturi me  
 tantūm pro tribunali sedent, præiudi-  
 cia, quę nō ex veritatis fonte, sed ex de-  
 prauata ista doctrina hauserunt, apud  
 te pro sententijs pronuncient, verūm  
 non audita etiam causa supplicium de  
 me sumi postulāt? hoc aduersus me ani-  
 mo cum sint Sicarij isti tui, iam etiam,  
 posteaq̄, vt dico, euasi, quid mihi tūm  
 primūm euenisset, si liberè vobis istic  
 constantiā volūtatis meę declarassem?  
 Scilicet id agere debuissim, id placuisset  
 furori Euāgelico, ipsis vt misellū corp⁹  
 hoc meū spōte obtulissim vexandū, cru-

IO. IACOB. RABVS

ciandum, enecandum, prout libuiffet.  
 At ita cur non egi? vis dicam? Nimirú  
 quòd indignos eos semper habui, quos  
 vel sanguine Catholico aspergerem,  
 vel qui nece tandem mea patrata, Mar-  
 tyris deinceps Christiani carnifices ha-  
 berentur. Sunt enim ipsis, si hoc sibi no-  
 mine tantopere placent, sunt, inquam,  
 alij, fontes, seditiosi, latrunculi, etiam  
 ex isto grege complures, hos coërceât,  
 ligent, torqueant, horum sese sanguine,  
 si bibisse non sufficiat, totos perluant,  
 perfundât, in his exerceant eam, quam  
 affectare videntur, Tyrannidem: inson-  
 tes, homines Catholicos, Euangelicos,  
 qui vexent indigni sunt penitus, in qui-  
 bus hoc vnum morte plectere possunt,  
 quod singulari in laude ponitur: qui et-  
 si tum vita tum morte sua, nomen Dei  
 sanctificari petant, ipsis se tamen, quò  
 minus temerè obijciât: idcirco faciūt,  
 quæ non strategemata de suis facinori-  
 bus

bus toti nunc ferè orbi pollicentur, ex tam præclara hominum innocentissimorū strage, maiorem sibi laudem aucupentur.

Sed ad me, qui totius Tragœdiæ sum quasi *τιλανγὲς ἀγρόσωπομ*, iam pridem in Theatrum productum, redeo, profugij, quod imponitur, crimen diligentius examinaturus. Die illa, qua postremò Vlmam reliqui, an subdixi me clâ aufugiu eturpiter, vel discessi abs te honestè? Tu manum mihi porrexisti, pater, eam ego tibi deosculatus sum, more nostro: literas præterea dedisti, quas apud Vuirtebergicos tuis redderem: monuisti quoq;, paternè prorsus, quæ admodum cepissem, ita in studijs sedulò pergerem. Quæ verò hîc profugij vel minutissima suspicio est? Quid ultra? Cùm sumpto, absente licet te, eiusdem diei prandio, discedendum mihi esset, eadem penitus humanitate, beneuolentia, ac complexu mutuo à dulcissima

matre, Aurelia sorore, ac alijs, quot-  
quot tunc præsentés aderant, omnibus  
discessi. Vnicum illud, quod te ex in-  
dustria celaueram, hîc expressi aperti-  
us, posthac nihil amplius literarû mea-  
rum Tybinga, sed vel Dilinga vel Au-  
gusta, vel Roma ad vos allatû iri. Quæ  
verba mea, etsi mater molestè admodû  
ferre videretur, vt quæ vix tû intellige-  
ret, quidnam ijs mihi vellem: adderetq;  
nonnullos propositû mutâdi stimulos,  
peramanter tamen, quemadmodû abs  
te quoque, postea discessum est. Et quæ  
hîc fugæ nota? Ergò reliqui vos tadem:  
ac cum tali mutationis proposito relin-  
querem, si me tum eo motum negem,  
certè mentiar. Motus enim sum ac per-  
motus vehementer, quòd cogitarè tali-  
bus me parentibus, si pergam, orbatum  
iri, quales mihi apud mortales reliqui  
nulli essent futuri. Mouebat & illud, &  
quam iacturam fauoris ac beneuolen-  
tix tuæ, bonorumq; omnium, hoc mo-  
do



do facturum essem, ea vnde restitui posset, penitus tunc ignorarē. Non dicam ad quas me lachrymas coegerit, incerta illa rerum mearum conditio, certum verò, ad quod prouocaturus te essem, mei odium. Sed nec illud dicam, quas mihi faces iniecerit, quos cogitationū impetus genuerit, naturalis illa *soerui*, quam ijs me debere noueram, à quibus ego & vitam hanc essem, & fortunarum ornamenta, & artium optimarum subsidia cōsecutus. Ac hoc quidem difficilius mihi erat status præsens, quòd qui subleuaret, habebam prorsus neminem, vt idem mihi cruciatus monumentum fuerit, quod debebat esse leuatio. Aculeos addebat, frustra id forsitan, sed addebat tamen, etiam nomen hoc familiæ nostræ, quod vt odiosum existeret viris Catholicis, ita rebus videbatur meis vndiq; obfuturū. Quæ me curæ ac anxietates eò tandē impulerūt, vt iter ceptum persequi cupienti, aqua,

IO. IACOB. RABVS

quod dicitur, hæreret, nec quicquam fe-  
rè conarer, vbi non labasceret punctus  
mœrore animus. Tandem verò Dei fir-  
matus ope, progressus sum, ac quidem  
post varios casus, post tot discrimina re-  
rum, eò tandem perueni, vnde me in po-  
sterum nulli hæresum fluctus, nulla im-  
probitas, violentia nulla, nulli denique  
hostium doli deturbabunt.

Quid tu nunc ad hæc pater? Est ne in  
his omnibus quicquam, quod flagitio-  
sæ fugæ crimen mereatur? Nihil omni-  
no. Non etsi ego ad homines Catholi-  
cos abscessi, nihil te sciente; non tamen  
fugi abs te, apud quem manere potuis-  
sem, modò viuere voluissem in execra-  
bili illa omniũ scelerum cloaca. Quo  
ergò pacto, ea tu mihi criminis loco  
obijcis, quæ vel summam constantiæ  
laudem apud bonos omnes merentur?

Fidem, aiunt illi, violaſti. Quam fi-  
dem? Qua Saxonis & hisce Ecclesijs  
obſtrictus fuiſti. Quasi verò iusiuran-  
dum

dum illud religionis sit, quod manifesta in se probra cōtinet, ac euidentes sacrosanctę Ecclesię contumelias. Quid? hi ne mihi nescio quod detestabile Sacramentum obtrudent, quod quantumcunque etiam in Deū blasphemum sit, conseruare tamē nihilominus cogar? ô insignem impudentiam, virulentiam, imò impietatem virorum Luthericorū. Quin illi nō potius istos nobis nostrorum Apostatarum nidos semel expurgant, quos fidem suam, quam non hominibus, non inferioribus hisce, sed Deo, sed authori vniuersi dederāt, tam turpi defectionis scelere nouimus contaminasse. Scilicet ipsis Deo licet illudere: mihi hominibus, ijsque sceleratis hæreticis, fidem impiè firmatam (quæ tamen fides reuera non est) rescindere non licet. Sed abeant friuola ista. Illud maioris momenti esse videtur, quòd me, maior vt peccandi licentia esset, huc defecisse cauillantur. At verò per-

inde ludicrum est (licet capitale appareat) ac illa superiora. Nam si peccata spectas ipsa, ec quæ hodie gens maiore diffluit libidine, quàm istæ vestrorum infecta colluuiæ, cui peccare non piculum, sed ludus est: licentiam spectas, licet istic, quicquid libet: vnde non vnum malorum mare apud ipsos inundauit: multæ eos fonticæ pestes inuaserrunt, omniaq; in præceps ruunt, vt res penitus deploratæ sint, cùm tantis malis nec manum iniicere, necdû vim aliquam inferre audeant: nec aliud ferè remedium inueniri audiriue istic queat, nisi quia populus malis iam pridem assueuit. Oportunitatem quæris peccãdi: en tibi primò omnium, mellitam, blandulam istam doctrinam Euangelicam, in qua palàm, sed miro quodã dulcore approbantur scelera, quæ vel ipsis gentibus forent execrabilia. Deinde totum istum gregem intuere: quid? improbus habear, nisi homines ad nefanda



da quæuis quasi manuū deducātur. Neque verò pauci tales infecti sunt: totum propè corpus ea labes occupauit: non vna est peccati species, sed plurimæ: nõ leuia errata sunt, sed horrèda etiam flagitia: nec solùm morū ea est corruptio, sed doctrinæ etiam. Si hæc ipsis licentia intelligitur: ecce peccata non solùm ipsa, sed verò permissionem etiam ac mirādam potius, quā discutiendam peccandi oportunitatē. Quæ iam insania foret, quæ sensuum stupiditas, licentiam peccandi alicubi quærere, cū eam sponte abieceris, quam in manibus dudum habuisses? improbitas igitur est, quòd earum me cupiditatum accusant amiculi illi, quæ nõ dormientem quidem vnquam incesserunt. Scilicet ego bonæ vitæ inuersionem meditor, cuius hæc vnica semper volūtas, vnicum hoc fuit animi desiderium, quo modo flagitia istæ, quibus & rem religionemque Christianam

IO. IACOB. RABVS

ftianam labefactari, & foediffimè animum meum contaminari intelligerè, inter pietatis studiosos possem declinare. Scilicet ego impunitam vitiorum licentiã aucupor, cuius in moribus etfi fortassis reprehendi multa possint, nihil tamen est, quod tam acerba insultatione dignum sit. Nec tam infeliciter, gratia Dei, in religione hac p̄feci, quin, rumpant licet illi, vita ipsis mea verè patientiæ constantiæq; ac aliarũ virtutum exempla præbere satis possit. Quod si quid ego sub religiõis prætextu tumultuari, si quam vitiorum licentiam querere hinc cupiam, leges & nos habere scias, pater, legumq; pœnas, quibus superiores mei, in quorũ oculis versor, grauius coërcere ac punire me possint. At horũ, Deo laus, adhuc nihil, imò verò eorum, quorum nunc liberalitas tuas vices supplet, tantus erga me fauor est, amor tantus, beneuolentia tanta, vt ad eam nihil accedere posse putem.

Est

Est enim Bavaria hæc nostra, non  
 quã ex illa profugi, susurriones aliquot  
 tui, esse calumniantur, vitiorum manci- *Bavaria*  
 pium: sed maximam multò partem in *laus.*  
 ea virtus dominatur, religio vndiq; ac  
 domiciliũ certè est, omnis pietatis aui-  
 tà, omnis humanitatis, hospitalitatis,  
 comitatis, omnisq; prudentiæ. Princi- *Illustris.*  
 pem verò habet ALBERTVM He- *Boiorum*  
 roëm eximium, cuius agnita iam pluri- *Dux Als-*  
 bus documentis erga fidem Catholi- *bertus.*  
 cam obseruantia, pietas, expedita ad pa-  
 trocinandum voluntas, aut, si externa  
 etiam requiras, manifesta vitæ inno-  
 centia, ac erga subditos paterna verè  
 clementia est. Quorum omnium, vt  
 cætera omittam, vel hoc satis indicio  
 est, quàm terræ suæ salutaris sit, quòd re-  
 ligionis ipse studiosissimus viros do-  
 ctos ac honestos vndiq; conquirat, qui-  
 bus deinde seuerè iniungit, vt ditionẽ  
 suam sedulò purgèt ab hæresum vestra-  
 rum pestilente contagio, quibus inter-  
 dum

IO. IACOB. RABVS

dum Bauariam ingrediuntur quidam  
vehemēter ægroti: nempe ex ijs venien-  
tes plagis, quas insalubris cœli vestri  
noxius infecit afflatus. Eos deinde di-  
ligenti Visitatorum studio cōquisitos,  
ac compertos tandem, vel arcet contu-  
maces, ne quid ad reliquos eius lepræ  
serpat, vel sanabiles clementer tractat,  
& magna cum benignitate fidei integri-  
tati restitui curat. Hunc principem, hūc  
tantum orbis Heroem, DEVS mihi pa-  
tronum dedit, cuius liberalitate, conse-  
quente tuam, vita hæc mea sua sentiret  
cōmoda ac fomēta, necessariam autho-  
ritate protectionē, patrociniū præfidiū,  
denique qui obumbraret me quasi alis  
suis, tueretur, ac incolumē aduersus tot  
hostes meos cōseruaret. Quod cum il-  
le, supra quàm sperassem ego, cumulatè  
hucusq; præstiterit: ne tu ipsum tam im-  
prudentem iudicaueris vt hæc omnia  
in eum collaturus fuerit, quem nosset,  
non veritatis zelo sed quadam cupidi-  
tatum



tatum turpissimarum prurientem libidine ipsius benevolentia tam turpiter abuti.

Hæc conuitorum summa ac præcipua sunt. Quæ alia in me infecta illæ tuorum adulatorū lingue feruentia quæ ora ebulliunt, eiusmodi sanè sunt, quæ si multis abolere studeam, quid, obsecro, fecero aliud, quàm quòd tempus & operâ lusero. Nam quæ nonnulli sunt, qui ignoscendum errori huic iuuenili, quomæ Dilingani patres adhibitis nescio quibus pollicitationibus inescassent: ac quicquid factum sit, id vnus ignorantia, eaque imprudentis nomine dignum censent, impium est. Error videlicet est, certissima Dei veritas, quam vt nos saluos faceret, ex sinu patris sui, in orbem hunc secum deuexit. Eam verò, si non dicam Iesuita, (est enim ille mihi ordo semper venerandus) sed defectior etiã docuisset, nunquid fas mihi fuisset, vel non audire instruentem, vel

IO. IACOB. RABVS

vel in quibus rectè me instrueret, ea temerè repudiare? At falsum omnino est, à Iesuitis me vobis primò subductum esse. Inter vos, pater, cùm adhuc essem, spiritus Dei digito suo veritatem Domini in me scribere cepit, monere ac vtgere etiã, vt amplecterer quod offerret, iequerer quò vocaret, ne me intolerabiles isti, at sempiterni sceleratorum cruciatus aliquando comprehenderët. Monitis nunc cælestibus obsecutus: cû Dilingæ patres optimos sponte mea, mea inquã sponte, nõ allectus ab ipsis, sed verò cognoscendæ perfectiùs veritatis nomine, nouus quasi, at non certè opinatus hospes accessissem, an nere pellere me debuissent tum, aut abigere flagris? Imò, ais, tunc te abduxerūt. Sed id rursus nihil est: nec ita inter nos euenit vnquam. Quin ea potius prudentissimorum virorũ erga me seueritas fuit, primo quidẽ tempore, vt eò ego conijcerer nonnunquam, qua ratione honestè

stè ab ipsis denuò recedere, ac ad locú,  
quem monstrasset Deus, alium confu-  
gere possem. Nec inficiat tamē, postea-  
quam sanctissimi patres, animum cō-  
stantiamq; volūtatis meæ diu satis pro-  
beq; explorassent, ijs me postea fomen-  
tis exceptum fuisse, quæ vulnera hæc  
mea pulchrè leuarent, ac cicatrices eti-  
am obducerent. Hoc enim æquum im-  
primis erat, hoc res tempusq; præsens  
postulabat, primùm, vt qui vel ex ipso  
nomine venerandæ societati suspectus  
esse possem, diligēter eum explorarent  
ante omnia, quo in loco habenda essent  
verba mea, vera ne, quia verè peterem,  
an falsa, quia fingerem, susciperent ve-  
rò tandem, ac concupito Ecclesiæ gre-  
mio insererēt, qui vel sanguine suo Chri-  
sti fidem confirmare, & tuis me sicarijs  
obijcere, vel primo isto tempore non  
vererent.

Sic & imprudenter admodum impe-  
ritiam meam exagitant. Nam tametsi

IO. IACOB. RABVS

ego nec eruditionem nec prudentiam in me ullam agnosco: sed verò id de me gloriari cum Apostolo in Domino possum, id iactare liberè, ingeniũ hoc tam despicabile Christo non fuisse, quin celestis suæ sapientiæ mysterijs, illud dignum iudicauerit, tumida verò multorum despexerit.

Nec minus friuolum, quòd Dubius à nonnullis proclamor, quos & tu ardeliones (parco autem nominibus) plerunq; exosos habes. Cuius generis & illud quorũdam apud nos, at à multis nuper in Belgio quoque repetitum mendacium est, tum me ad vos certò rediturum, si vel satietate caperer religionis nostræ (esse verò, aiunt, in me *ωλκισμον ἢ ἀπάνωρ*) vel incommoda sentirem vitæ meæ, subsidijs necessarijs destitutus. Multi eò impudentiæ prolapsi sunt, vt similes eiusmodi voces auditas ex me esse dicerent. At verò, nihil hinc periculi est, nec opus est multum vos  
hoc



hoc angustadium esse non potest, ubi industria est ac labor amabilis: ubi Christi gratia est, quam petentibus nunquam denegare solet, quæ dat & velle & perficere: deinde ita me erga hanc fidem affectum esse scias, sic in ipsius professione confirmatum, ut cum vnica sit, quæ ad veræ immortalitatis gloriam me deducet, mille citius incommoda, inopiam quoque ac supremam egestatem passurus sim, quam deflectam: impudentes verò ac homines nefarios sceleratosque à me haberi, qui apud vos primum, qui postea Dilingæ, qui in remotis his Belgij finibus famam ac dignitatem meam, mendacio tam virulento ausi sunt profcindere. Equidem vniuersos prouoco, dicant, si ausint, ubi, quando, apud quos, quo in loco perfidiæ huiusce indicia vlla vnquam dederim: sed nec illi possunt, si veraces esse velint, & conscius ego mihi sum, nihil à me tale dictum factumque esse: quin igitur suam

IO. IACOB. RABVS

sibi *χολήν*, non ita benè digestam adhuc, ipsi resorbeant, neque quos in os sibi conieccherant, in aliis posthac sinum fautores spuant prius, quàm copioso se se Helleboro rursus expurgauerint. Nam si pergant: mendaces certè notādi sunt.

Tandem: desperavit. Scilicet hæc Catastrophe est fabulæ huius, quā non ita dudum in mei gratiam eleganter admodum istic nescio cuiusnam voluntate aetam ex Cathedra esse audio. At noua criminatio non est: hoc enim eodem fulmine Staphylus, Agricola, ac complures alij, viri insignes, postquam veritatem agnouissent, ab execranda ista colluue percussi at strati non sunt. Nunquid verò graue crimē est? fateor: capitale etiam, si velis. Quid ergò respondes? Nempe facinorosum istum, qui de me sic dixit, non quidem turpiter, (hoc enim omnium ferè fidei proditorum huius seculi *ἰδιώτατος*, & vt loquuntur scholæ, in quarto modo *ἰδιότης* est.)

est.) sed turpissimè, quod transcendit, mentiri. Ac nisi improbus ille maht, quàm ingenuus hostis videri, lacessitus nunc, quod crimen incredibile ferè de me confinxit, publicè confirmet, ostendat qua ego in re, quo modo, quibus testimonijs ego ipsi videar desperasse.

Hoc enim cum negem ego, adeoq; crimen falsi illi impingam, nouerit certè, si bonus sit, quid nunc ipsum deceat.

Ne tamen hic prorsus *κῶφορ πρόσωπορ* pungat, homo, quisquis tandem est, nequam: hoc illi breuiter regero, eam me, Dei bonitate, causæ fiduciam sustinere, ac profiteri certitudinem, quæ nec uelitationes publicas, nec mortis terrores, nec ipsum adeò Dei tribunal formidet. Eat nunc sicarius tuus, & desperasse me mētiatur: quin id ipsum impuro uicissim ore suo excipiat, quod tanto in me impetu coniecit.

Habes iam Ludouice pater, copiosè satis expositam, discussam, repressam,

## IO. IACOB. RABVS

calumniatorum meorum virulentam  
 improbitatem, audaciam, malitiam. Su-  
 perest id vnicū, te vti rogem, ne vel ipse  
 mihi posthac infanti tantopere insultes,  
 neue in delationes inuidiorū meo-  
 rum credula amplius aure propendeas:  
 quorum alterum irreligiosi est: alterū,  
 quia leuitatem ostendit, cadere in pru-  
 dentem non debet. Quod verò vtrique  
 nostrū vtile fore ac salutare planè con-  
 fido, te vehementer oro, vt defensionem  
 hanc & fidei & personæ meæ studiosè,  
 ac eo, quem agnoui in te sapius patris  
 charissimi affectu, perpendas non ver-  
 borum grauitatem, non sententiarum  
 concinnitatem, non externum verborū  
 corticem: quæ quia in me non reperio,  
 idcirco nec vsurpo, sed res, quas attulisse  
 me opinor: ac si mutare mētem istam  
 nondum velis (quod tamen ne facias,  
 per Christum Iesum te obtestor) ad ip-  
 sam saltem audiendæ coràm causæ meæ  
 actionem animum tuum præmolliri pa-  
 tiare,



tiare, alienatum nunc à me quin auer-  
 sum penitus, odioque bullicentem sed  
 quem tranquillum rursus fore spero, si  
 quæ exposita à me sunt, benè confide-  
 raueris. Neque tu, puto, ita omnem er-  
 ga me σοφίην, ac humanitatem exuisti,  
 quin libenter locum daturus sis verita-  
 ti, modò cognoscas, eam à me quæri,  
 nec desiderari aliud, quàm vt eius inte-  
 gritas cordi meo perpetuò infixæ hære-  
 at, spes verò mea, quam in Domino ha-  
 beo, maneat incolumis, fides denique,  
 qua hæc credo esse vitã æternã, nosse in  
 populo Dei vnũ verũ Deũ, & quem ille  
 misit, Iesum Christum, semper in me cõ-  
 seruetur. Qua de re si quid tu adhuc du-  
 bitas, an ego verè sic affectus sim, nec ve-  
 ner aliud, En pater mi charissime: Deũ  
 nunc inuoco, æternum Patrem  
 Domini ac liberatoris nostri IESU  
 CHRISTI, veritatem ipsam, vt is  
 mihi non tantum hîc testis, verum  
 G iij etiam

IO. IACOB. RABVS

etiam iudex aliquādo eorum esse velit.

Sin verò inuidorum meorum improbitas, hominumque clamosissimorum mendacia ita te animumque; tuum nunc occuparunt, vt nullus omninò sit iniquissimè accusato filio tuo, pro se dicendi amplius locus, immanes verò furie illę, te ita volente, iubente, mandante, minis, terriculamentis, flagris, nece, & id genus nocentum supplicijs alijs, sæuire in me debeant perpetuò: ego quidem ovis instar mactationi destinatę, cruentas istas manus alacris subibo, gladio ceruicem, resti iugulũ, flammis totum hoc, misellum licet corpus meũ obijciam constanter, redigarque; sic tandem ad pulueres ex quibus etiam consto, at ita tamen, vt in patientia ac spe, meam ego IPSE animam possideam, quam nemo mihi vestrum, sat scio, ne quidem ipse Dæmon eripiet: & dextram Dei fortem expectem, quę se dubio procul tremendam vobis aliquando

do ostēdet, ac ex afflictione suos eruet, perdet verò eos, qui tanta hodie securitate, in malitia, impietate ac contemptu suo tantopere exultant.

Hæc ad te, Ludouice pater, scribenda hoc tempore esse duxi publicè, cùm priuatas nullas admittas; tuū erit, quæ scripsi, seposita aliquantisper iniquiori illa voluntate ex integro pietatis iudicio diligenter emetiri. Reliqua verò officia mea, in vos omnes, oēm domū ac genus nostrū, fidelissimè semper amantissimeq; vobis constabunt, modò id mihi tu, impunè vt liceat, vicissim largiaris, ac si salutis studiosus es propriæ, eò diligenter aspices ipse, quod vitæ æternæ quasi initium quoddam est, vt Ecclesia, & in ea, Deus per nos rectè colatur. Benè vale, pater obseruandissime. Colonia Agrippinæ Calend. Ianu. Anno 1570. quem vobis omnibus salutarem precor idq; ad salutem vestrā, in Ecclesia Catholica consequendam.

M. ALBERTI  
SNECANI FRISO-  
NIS, ORGANI ARISTOTELI-  
ci ac Græcæ linguæ in nouo trium Co-  
ronarum Collegio Coloniae Professo-  
ris, ad Cla. D. Iohan. Iacobum  
Rabus, &c. ἐπιγρᾶμμα  
ex Psal. 91.

**Q**ualis leta solo protendit brachia palma  
In uiridi campo consita propter aquam,  
Luxuriatq; comis & toto uertice supra est,  
Nec metuit nymbos nubiferumq; Notum  
Talis inexpletum iustus cui conscia recti  
Mens, ac uirtutum non periturus amor  
Victor ouat, mundi tantum ludibria supra  
Quantum huius mundi machina uasta patet.  
Non homines timet ille sed imperterritus omnem  
Vim fert, angelicam certus adesse manum:  
Que numeroso ipsum comes agmine stipat euntem  
Et Deus affl. cto fert miseratus opem.  
Ergo iacobe feras: nil adiutoribus istis  
Te premet: inceptum perfice letus iter.  
Nam quot in aduersum torquet tela impius hostis:  
Tos capiti accumulans mollia ferta tuo.

LECTO-



## LECTORI S.

Ne pagellæ cæteræ uacarent, uoluimus in gratiam Catholici Lectoris, dicta aliquot S. Patrum pro authoritate eius Ecclesiæ, cui se author Epistolæ huius adiunxit, breuiter subiicere. Quod ut candidè à nobis accipiatur, etiam atq; etiam rogamus.

**I**renæus lib. 4. ad. hæ. cap. 43. Eis Quibus presbyteris obediendum sit.  
qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successionem charissima veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt: reliquos uero qui absistunt à principali successionem, & quocunq; loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & male sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes aut hi decidunt à ueritate: Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, à coelesti igne comburentur, quem-

Pena hæreticorum ac schismaticorum.

quemadmodum Nadab & Abiu. Qui  
verò exurgunt contra veritatem, & al-  
teros adhortantur aduersus Ecclesiam  
Dei, remanent apud inferos, voragine  
terræ absorpti, quæadmodum qui circa  
Chore, Dathan, & Abyron. Qui autem  
scindūt & separāt vnitatē Ecclesiæ, eadē  
quā Ieroboam poenā percipiunt à Deo.

TERTVL. de p̄scrip. ad hær. Edāt  
origines Ecclesiarū tuarū: euoluant or-  
dinem Episcoporū suorū, ita per succes-  
siones ab initio decurrentē, vt primus  
ille Episcopus aliquē ex Apostolis, vel  
Apostolicis viris, qui tñ cū Apostolis  
p̄seuerauerit, habuerit authorē & ante-  
cessorē. Hoc enim modo Ecclesiæ Apo-  
stolicæ census suos deferūt sicut Smyr-  
næorū Ecclesia Polycarpū ab Ioāne col-  
locatū refert, Sicut Romanorū Clemē-  
tē à Petro ordinatū: id & proinde utiq;  
& cæteræ exhibent, quos Apostoli in  
Episcopatum cōstitutos, Apostolici se-  
minis traduces habeant. Cōsingant tale  
aliquid hæretici. Quid enim illis post  
blas-

*Hæretici  
carent suc-  
cessione.*

blasphemiam illicitū est? Sed etsi con-  
finxerint, nihil promouebūt. Ipsa enim  
doctrina eorū cum Apostolica compa-  
rata, ex diuersitate & contrarietate sua  
pronunciabit, neq; Apostoli alicuius  
authoris esse, neq; Apostolici.

D. August. lib. de util. creden. c. 17.  
Dubitemus nos eius Ecclesiæ condere  
gremio, quæ vsq; ad confessionem gene-  
ris humani, ab Apostolica sede per suc-  
cessiones Episcoporum, frustra hæreti-  
cis circumlatrantibus, & partim plebis  
ipsius iudicio, partim Cōciliorū graui-  
tate, partim etiā Miraculorū Maiestate  
dānatis, columē authoritatis obtinuit?

Idem contra Epist. Manich. Tenet  
in Ecclesiæ Catholicæ gremio cōsensio  
populorū atq; gentiū. Tenet authoritas  
miraculis inchoata, spe nutrita, charita-  
te aucta, vetustate firmata. Tenet ab  
ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas  
oues suas post Resurrect. Dominus  
commendauit, vsq; ad præsentem Epi-  
scopatū successio sacerdotū. Tenet po-  
stremò

*☞*  
Causa quæ  
D. Augu.  
in Ecclesia  
Romana  
retinuerint

stremò ipsum Catholicæ nomen, quod  
nō sine causa, inter tam multas hæreses,  
sic ista Ecclesia obtinuit, vt cū oēs hære-  
tici se Catholicos dici velint, quærenti  
tamen peregrino alicui, vbi ad Catholi-  
cā cōueniatur, nullus hæreticorū vel ba-  
filicam suā vel domū audeat ostendere.

Cyprian. lib. 1. Epist. 3. ad Corneliū  
Rom. Episcopū: Christi aduersarius &  
Ecclesiæ inimicus, ad hoc Ecclesię pro-  
positū sua infestatione persequitur, vt  
gubernatore sublato, atrocius atq; vio-  
lentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur.  
Ibidē: Post ista adhuc insuper pseu-  
doepiscopo sibi ab hæreticis cōstituto,  
nauigare audēt, & ad Petri Cathedram  
atq; ad Ecclesiā principalem, vnde vni-  
tas sacerdotalis exorta est, à schismati-  
cis & prophanis literas ferre, nec cogi-  
tare eos esse Romanos, (quorū fides A-  
postolo prædicante laudata est) ad quos  
perfidia habere non possit accessum.

Bernard. lib. 2. de consideratione ad  
Eugenium Pontif. Max. Agè indage-  
mus

*Ex Roma  
na Eccles  
sia unitas  
sacerdotalis  
orta est.*



mus adhuc diligentius quis sis, quam geras  
videlicet pro tempore personā in Ecclesia  
Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus  
Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu he- *Pontifex*  
res Apostolorū, tu primatu Abel, gubernas *Romanus*  
tu Noë, Patriarchatu Abrahā, ordine Mel- *quantus sis*  
chisedech, dignitate Aarō, auctoritate Moy-  
ses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vncti-  
one Christus. Tu es cui clauēs traditæ, cui  
oues creditæ sunt. Sunt quidē & alij quidā  
cœli ianitores, & gregū pastores, sed tu tāto  
gloriosius, quāto & differentiū vtrunq; præ  
cæteris nomen hæreditasti. Habent illi tibi  
assignatos greges, singuli singulos, tibi vni-  
uersi crediti, vni vnus. Nec modò ouīū, sed  
& pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde  
id probem quæris? Ex verbo Domini: cui  
enim nō dico episcoporū, sed etiam aposto-  
lorum, sic absolutè & indiscretè totæ com-  
missæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce  
oues meas. Quas? Illius vel illius populos  
ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues  
meas, inquit. Cui non planum, non desi-  
nasse aliquas, sed adsignasse omnes?  
Nihil excipitur, vbi distingui  
tur nihil &c.

F I N I S.

Συμπράττετε τοῖς φίλοις ἀλλὰ μέχρι βωμῶν

Nam ut D. Petrus loquitur. Actor: 5.

Θεῶ δ' ἔμᾶλλον περὶ αὐτῶν ἢ τοῖς ἀνθρώποις.

E R R A T A.

Fol. 22. a. 14. eo. fol. 26. b. 11. Catholicā pro  
Catholicam. fol. 27. b. 3. arbitror. fol. 40. a. 3.  
certo. fol. 44. b. 14. Nam pro non. fol. 46. a. 10.  
ita lege: soliam apud uos ipsa. fol. 47. b. 24. ita le-  
ge: Non ueritatis zelo ferri sed etc. fol. 48. a. 21.  
Iesuitæ. Ibidem 23. ita lege: sed despectior etiam  
quispiam edocuisse.

Hæc errata præcipua sunt: reliquorum cura  
datus lector curam habeat.